AD ILLUSTRISSIMOS

ET REVERENDISSIMOS

GALLIÆ EPISCOPOS

DISQUISITIO THEOLOGICO-JURIDICA,

Super Declaratione Cleri Gallicani facta Parisiis 19. Martii 1682.

PER QUEMDAM

S. TH. PROFESSOREM.

LEODII,

Apud HENRICUM HOUTOUX.

Cum Superiorum Licentia & Approbatione.

" *bilem velimus reddere: quia te sicut charissimum fratrem nostrum affluen-*
" *tissima charitate diligimus, & honoris & exaltationis tuæ desideramus mo-*
" *dis omnibus incrementum. Nam etsi sæpè fratribus & Coepiscopis nostris*
" *secundùm veritatem eorum, quæ nobis suggeruntur, asperè & durè scripsi-*
" *mus: hoc tamen non ex minori affectione contingit; sed ut clamoribus*
" *querelantium secundùm Deum, & officii nostri debitum satisfacere eò com-*
" *probemur. Quapropter monemus prudentiam tuam, & hortamur attentius,*
" *quatenus de cætero non movearis, neque turberis, nec tuus animus dejicia-*
" *tur, si tibi durum vel asperum scripsimus: sed sicut providus & discretus,*
" *qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut manda-*
" *tum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere*
" *non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si*
" *non feceris, quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum*".

3. Et in cap. 20. de Rescriptis *super litteris, quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia (tacita veritate, vel suggesta falsitate) impetrantur à nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis asserentibus eos debere prorsus carere omni commodo litterarum, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis: aliis verò dicentibus, quod etsi forma carere debeant in litteris nostris expressa, nihilominus juxta rigorem juris sit à delegato judice in negotio procedendum, &c.*

4. Nihil ergo ad impugnandam supremi Capitis Ecclesiæ authoritatem in materiis, de quibus agemus, pertinet, quod aliqui Pontifices Summi suorum Prædecessorum facta & sententias retractaverint.

5. Dicimus etiam, id quod docent Canones, particularium locorum statuta, (idem est de consuetudinibus) ab ipso probabiliter ignorari, *cap. 1. de constitut. in 6.*

6. Nomine statuti intelligimus non solum locale alicujus, v.g. civitatis aut provinciæ; sed etiam Regni, aut Imperii, quod respectu totius Christiani orbis, non aliud est quam civitas respectu Regni. Non producant ergo nobis, qui authoritatem, de qua quærimus, impugnant exempla ejusmodi, in quibus summos Pontifices errare posse ipsimet fatentur.

7. Non dicimus etiam, quod quidquid scripserunt, aut dixerunt Christi Vicarii, Petri in Romana Cathedra Successores, fuerit, aut sit irrefragabile aut irreformabile. Aliquando enim super casibus

casibus propositis aliqui rescripserunt secundùm opinionem illius temporis probabilem.

8. Fuerat multorum opinio, etiam Gallorum, per lepram dissolvi Matrimonium. Inde in Concilio Compendiensi habito, an. 757. can. 16. ita legitur: *Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipsa fœmina, si vult, accipiat: similiter & vir.*

9. Secundùm hanc Stephanus II. creatus Pontifex anno 752. in Responsis cap. 2. dixerat, *Si quis se in conjugio copulaverit, & uni eorum contigerit, ut debitum reddere non possit; non liceat eos separare: nec pro alia infirmitate, excepto si dæmonii infirmitas, aut lepræ macula super venerit: cæterum si ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint invicem conjuncti, unus alteri servitium exhibeat.* Hoc responsum de dissolutione quoad vinculum docti intelligunt.

10. Fuerat opinio similiter, *Matrimonium posse dissolvi*, si propter supervenientem infirmitatem, mulier non posset ulterius debitum reddere; qua de re ita Gregorius II. creatus Pontifex anno 714. Sancto Bonifacio Germanorum Apostolo Epist. 13. rescripsit: *Quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentia vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.*

11. Similia tradunt ipsi Canones in Coropre Juris clausi, in quorum uno (qui est de sponsa duorum cap. 3.) dicitur: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quidem, quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expreßè recipiat, utroque dicente: Ego te accipio in meam, & ego accipio te in meum: Sive sit juramentum interpositum, sive non, non licet mulieri alii nubere. & si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, Ecclesiastica districtione compelli:* QUAMVIS ALITER A QUIBUSDAM PRÆDECESSORIBUS NOSTRIS SIT ALIQUANDO JUDICATUM.

12. In altero autem, qui est de divortiis cap. 7. dicitur: *Sanè tua fraternitas intimavit, quod altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur ad secunda vota desiderat convolare. Quod utrum possit fieri, per*

tuas nos duxisti litteras consulendos. Nos igitur consultationi tuæ respondentes distinguimus, LICET QUIDAM PRÆDECESSOR NOSTER SENSISSE ALITER VIDEATUR, *an ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem &c.* alia reperiuntur in nonnullorum Pontificum scriptis.

13 Aliquando etiam judicium definitivum suspendunt, & interim utramque contradictionis partem doceri permittunt; aut super una parte interim silentium indicunt; etiamsi definitivo judicio necdum damnent.

14. Prioris partis speciem habes in decreto Alexandri VII. super quæstione, *An aliqualis dilectio Dei ad justificationem requiratur cum Sacramento Pœnitentiæ.* Item in decreto S. D. N. condemnativo 65. propositionum, in quo hæc clausula additur: *Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci & charitati consulatur, idem sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à sancta Sede recognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.*

15. Posterioris speciem habes in decreto ejusdem Alex. VII. quo ad quæstionem *de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ.* Præiverant in similibus decernendi modis circa alias materias quidam anteriores Christi Vicarii.

16. Sunt præterea variæ constitutiones Apostolicæ purè humani juris: quales sunt plurimæ tam in corpore juris clausæ, quam in Bullario v. g. de electionibus, judiciis, eorum forma, de appellationibus, beneficiis, pœnis. Quæ per succedentes Christi Vicarios mutatæ sunt, vel iis derogatum, etiam aliquando per consuetudinem.

17. Ista omnia dum quidam non distinguunt à sanctæ Sedis definitionibus, quas Theologi vocant ex Cathedra, de quibus ago, & ex illis ad harum subversionem argumentantur, multum falluntur, & fallunt incautos vel imperitos. Videamus nunc quid Illustrissimi Galliæ Episcopi decreverint.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Cleri Gallicani de Ecclesiastica potestate declaratio die 19. Martii 1682.

18. Ecclesiæ Gallicanæ Decreta & libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur; nec desunt qui earum obtentu Primatum Beati Petri ejusque Successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus Majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam potestatem quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam & gravem Regibus & populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ Matris Christique adeò communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus, Nos Archi-Episcopi & Episcopi Parisiis Mandato Regio Congregati Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, unâ cum cæteris Ecclesiasticis viris nobiscum Deputatis, diligenti tractatu habito hæc sancienda & declaranda esse duximus.

I.

Primùm Beato Petro ejusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo traditam potestatem, dicente Domino, *Regnum meum non est de hoc mundo*, & iterum, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; ac proinde stare Apostolicum illud. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque authoritate clavium Ecclesiæ directè

vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ quàm imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni & Sanctorum exemplis consonam, omninò retinendam.

I I.

Sic autem inesse Apostolicæ Sedi ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum Spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua Religione custodita decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ Sessione quarta & quinta continentur, nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

I I I.

Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per canones spiritu Dei conditos & totius mundi reverentiâ consecratos: Valere etiam regulas, mores & instituta à Regno & Ecclesiâ Gallicanâ recepta, patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis ut statuta & consuetudines tantæ Sedis & Ecclesiarum confessione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant.

I V.

In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

Quæ accepta à patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas atque Episcopos iis Spiritu sancto authore præsidentes, mittenda decrevimus; ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu & in eâdem sententiâ.

ARTI-

ARTICULUS III.

Breve examen particularum dictæ declarationis, materiam, de qua nunc agimus, concernentium.

19 DEclaratio sic incipit: *Ecclesia Gallicana decreta & libertates à majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur.*

20. Pessimè faciunt, si illa sint Sacris Canonibus & Patrum traditione nixa. Scriptum est enim in Canone 5. distinct. 12. *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris, vel falso insimulari Sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus pro libitu semper errantium infringi patiamur.*

21. Sed quorum Patrum, an illorum qui sæculo 15. vixerunt, & reprobatæ Synodi Basiliensis authores fuerunt, vel sectatores; an vero Sanctorum & antiquorum traditione nixa sint illa, quæ articulo 2. 3. 4. declarantur? merito inquirimus: uti etiam à quibus & quando conditi sint isti Sacri Canones, in quibus *Declaratio* fundatur. Sequitur in declaratione.

22. *Nec desunt, qui earum obtentu Primatum Beati Petri ejusque Successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua fides prædicatur & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus Majestatem imminuere non vereantur.*

23. Pessimè & hi. Nam, (ut nunc omittam alia plurima infra deducenda) in Generali Concilio Lugdunensi secundo Græci, qui multis annis Primatum Sanctæ Romanæ Sedis impugnarant, illum recognoverunt his verbis *ipsa quoque Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super Universam Ecclesiam Catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.* Ita ipse Græcorum Imperator Michaël Paleologus.

24. Ipse

24. Ipse quoque Legatus Prælatorum Græciæ sic subjunxit: *Ego Nuntius habens ab eisdem sufficientem ad infrascripta mandata, subscriptam fidei veritatem, prout plene lecta est, & fideliter exposita*" à me, Dei " & Domini nostri nomine veram Sanctam Catholicam fidem esse " cognosco, eam accepto corde & ore confiteor; ipsamque *prout* ,, *tenet*, & fideliter docet, & prædicat Sancta Romana Ecclesia, ,, inviolabiliter servaturum, & in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo tempore recessurum vel quoquo modo deviaturum, nec discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto & sponte suscipio. Et ipse omnia ,, præmissa tam circa ejusdem Ecclesiæ Romanæ Primatum, & Episcoporum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam ac perseverantiam servaturum, prestito corporaliter ,, juramento, promitto & confirmo. Sic Deus ipsum adjuvet, & ,, hæc Sancta Evangelia. Scrinarius, Sacrista, Chartophylax, & ,, magnus Schevophylax Sanctissimi ejus qui in Constantinopoli ,, est Patriarchatus, Joannes Lector.

25. Concilium Generale Florentinum sustulit omne dubium. Dicit enim, *definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum; & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi Vniversalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*".

26. Huic Concilio præter Latinos subscripserunt ipse Græcorum Imperator, primas Macedoniæ, locum tenentes Patriarcharum Antiocheni, Alexandrini, & Hierosolymitani, Archi-Episcopi Græciæ duodecim, & alii plures.

27. Tridentinum autem (in quo varia ad fidem & Juris Divini interpretationem statuta sunt, alia ad jus positivum Ecclesiasticum, quæ extant sub titulis *de reformatione*) de posterioribus ita decrevit. *Statuendum censuit salva semper in omnibus Sedis Apostolicæ authoritate.* Seff. 7. de reform. in princ.

28. Item

28. Item in decreto de Indulgentiis: " Cæteros (abusus) qui „ ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque proveniunt, cum ob multiplices locorum & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commodè nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque „ Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum „ Pontificem deferantur: cujus authoritate & prudentia quod „ *Vniversali Ecclesiæ* expedit, statuatur; ut ita sanctarum Indulgentiarum munus piè, sanctè & incorruptè omnibus fidelibus „ dispensetur".

29. De his verò quæ ad fidem pertinent sic statuit in decreto de recipiendis & observandis decretis Concilii: " Tanta fuit „ horum temporum calamitas & hæreticorum inveterata malitia, „ ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda unquam fuerit, „ aut tam certo statutum, quod non, humani generis hoste suadente, illi errore aliquo contaminaverint: ea propter sancta „ Synodus id potissimùm curavit, ut præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret & anathemizaret; veramque & „ Catholicam doctrinam traderet & doceret, prout damnavit, „ anathemizavit, & definivit. Cumque tam diu tot Episcopi ex „ variis Christiani orbis Provinciis evocati, sine magna gregis sibi „ commissi jactura, & universali periculo ab Ecclesiis abesse non „ possint, nec ulla spes restet hæricos, toties fide, etiam publica, „ quam desiderarunt, invitatos, & tamdiu expectatos, huc amplius adventuros; ideoque tandem huic sacro Concilio finem „ imponere necesse sit. Superest nunc, ut Principes omnes, quod „ facit, in Domino moneat ad operam suam ita præstandam, ut „ quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis depravari aut violari non „ permittant; sed ab his, & omnibus devote recipiantur & fideliter „ observentur. Quod si in his recipiendis aliquâ difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ *Declarationem* (quod non credit) „ aut *Definitionem* postulent; præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus Beatissimum Romanum „ Pontificem curaturum, ut vel evocatis, ex illis præsertim Pro-

„ vinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio „ tractando viderit expedire, vel etiam Concilii Generalis cele„ bratione, si necessarium judicaverit, *vel commodiore quacumque ra„ tione ei visum fuerit*, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria & „ Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

30. De quæstionibus ad fidem pertinentibus clarè loquitur hoc decretum, dicitur enim, *ut nihil tam clarum in fide asserenda &c.* significatur nondum damnatos esse omnes hæreticorum istius temporis errores, sed *Præcipuos, cæteros discuti non potuisse, quia tot Episcopi &c.* Additur, *Si aliqua inciderint, quæ definitionem postulent, Romanum Pontificem curaturum &c.* Definiendi modus relinquitur ejusdem arbitrio, *ut vel vocatis iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii Generalis celebratione, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit &c.* Definitio finem controversiæ imponit: & quidem etiam adversus hæreticos.

31. Dicit ergo Concilium, quod adversus similes dixit Augustinus contra Julianum lib. 1. cap. 4. " Puto tibi eam partem „ orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum vo„ luerit Dominus glorioso Martyrio coronare. Cui Ecclesiæ „ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc „ periculosam juventutem laqueis tuis exuisses. Quid enim po„ tuit ille Conciliis Africanis respondere, nisi quod antiquitus „ Apostolica Sedes & Romana tenet perseveranter Ecclesia? Et „ tandem ejus Successorem crimine prævaricationis accusas, quia „ doctrinæ Apostolicæ, & sui decessoris sententiæ noluit refra„ gari. Alia Augustini & aliorum Patrum loca dabo infrà.

32. Prosequamur verba Declarationis: *Quæ ut incommoda propulsemus, nos Archi-Episcopi & Episcopi Parisiis mandato Regio congregati Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, una cum cæteris Ecclesiasticis Viris nobiscum Deputatis, diligenti tractatu habito hæc sancienda, & declaranda esse duximus. Primum B. Petro ejusq; Successoribus Christi Vicariis ipsiq; Ecclesiæ rerum spiritualium & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo traditam potestatem, dicente Domino,* REGNUM MEUM NON EST DE HOC MUNDO. Et iterum: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo &c.*

33. Non tantum ista dixit Christus, erratur facilè, si unus tan-

tantum Scripturæ locus attendatur. Conferenda sunt alia, & sicut, dum agitur de Legum Civilium interpretatione, dicitur in l. 24. ff. de legibus, *Incivile est, nisi tota lege perspectâ unâ tantum aliqua particulâ ejus propositâ, judicare vel respondere:* ita in Divini Juris interpretatione faciendum docent Patres, & consensus omnium Interpretum, unum textum ex alio explicantium. Videndum ergo quid alibi vel per se dixit Christus, vel per Apostolos suos: & consideranda eorum facta. Illa enim sunt etiam nobis signa. Hoc docet Augustinus sæpissimè *in Tractatibus in Ioannem, de doctrina Christiana, & aliis locis:* nec non cæteri Patres. Videamus ergo aliqua Christi & Apostolorum ejus dicta, & facta ab ipsius Regno non aliena.

34. Dicit in Evangelio Joannes cap. 2. *Et prope erat Pascha Iudaorum, & ascendit Iesus Hierosolymam: & invenit in templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & as effudit, & mensas subvertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Ista Christus primo anno prædicationis suæ.

35. Quinque ante passionem diebus, iterum, *Intravit*, inquit Matthæus cap. 21. *Iesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertit: & dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

36. Ibidem scribit Matthæus: *Mane autem revertens in civitatem esuriit.* Et videns fici arborem unam secùs viam, venit ad eam: *& nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea.*

37. Matthæi 8. misit dæmones in porcos. *At illi*, inquit Evangelista, *abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per praceps in mare & mortui sunt in aquis.*

39. De Petro autem ecce quod refertur Act. c. 5. *Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius* (Ananiæ) *nesciens quod factum fuerat, introivit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utrique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt*

virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus & expiravit.

39. De Paulo Actuum 13. *Et cum per ambulassent universam Insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum Magum Pseudo-prophetam, Iudæum, cui nomen erat Bar-Iesu, qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente: hic, accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elymas Magus, (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens evertere Proconsulem à fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret.*

40. Et ipse Paulus 1. ad Corinthios 5. *Et quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Et cap. 4. *Quid vultis, an in virga veniam, &c.*

41. Joannes autem Epist. 3. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant: neque ipse suscipit fratres: & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit.*

42. Regiæ authoritati & juri in nullo derogari velim. Hoc tantum inquiro, an ex Scripturis in *Declaratione* allegatis, ita sit intra terminos in eadem præfixos constricta Pontificia potestas, ut nullo casu, ac ne quidem si Rex notoriè factus hæreticus vel Idololatra subditos suos vellet pervertere, ulla Ecclesiæ competeret authoritas saltem indirecta, quæ extra dictos terminos egrederetur. Multa affirmant Theologi. Sed transeo ad sequentem *Declarationis* partem.

ARGU-

ARTICVLVS IV.

Ad paragraphum secundum Declarationis. De schismate, cujus occasione habitum fuit Constantiense Concilium, & quid in eo fuerit statutum.

43. IN dicto Paragrapho secundo scriptum est: "Sic autem „ inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus, Christi „ Vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut si„ mul valeant atque immota consistant Sanctæ œcume„ nicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ip„ soque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confir„ mata: atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita „ Decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ Sess. 4. „ & 5. continentur: nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum „ Decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis ac minus approbata, „ robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant".

44. De pluribus hic merito quæritur: quibus aliqua de schismate præmittenda sunt omnibus Historicis nota,& expressa in ipsis Conciliorum Ecclesiæ Tomis, qui Parisiis hoc sæculo in Typographia Regia excusi sunt. In quorum vigesimo nono, diversis in locis ea, quæ hic annoto, invenientur.

45. In illis legitur quod mortuo Gregorio XI. anno 1378. " In ejus locum electus sit Pontifex Maximus Urbanus VI. qui „ initio Pontificatus mores Cardinalium quorumdam debito pie„ tatis zelo reprehendit. Quam correctionem dum illi non æquo „ satis animo sustinerent, Roma Anagniam profecti, Schisma„ ticum & Pseudo-Pontificem, quem Clementem VII. nomina„ runt, contra eum elegerunt: eaque occasione perniciosissimum „ schisma, quod nonnisi post 36. annos tempore Constantiensis „ Concilii tolli potuit, exsuscitarunt. Galli & Hispani Anti-Papæ „ Clementi, Itali verò, aliique plures Urbano Pontifici vero & legitimo adhæserunt".

46. Qui Clementem Anti-Papam elegerunt, conati fuerant quodam coloris fuco persuadere Urbani electionem fuisse irritam, "eo quod metu Romani Populi suis illum suffragiis nominassent". Licet replicaret Urbanus "se jure atque aliorum Pontificum more „ creatum esse, neque posse Cardinales timoris excusationem „ prætexere, cum etiam aliquot post electionem mensibus Romæ „ commorati, liberè actis Pontificiis adfuerint, ipsumque tam- „ quam verum Pontificem sæpè venerati sint. Contra Clemens „ Populi Romani minas in medium proferebat, & Cardinales non „ sponte, sed metu coactos ad Urbanum inclinasse, eumque verbo „ dumtaxat, non re ipsa Pontificem creatum esse dicebat. His „ igitur rationibus uterque Pontifex adductus, alterum contem- „ nebat, ac tum ipsum, tum ejus Cardinales execrabatur. Cum „ autem Reges & Provinciæ non apertè intelligerent, uter verus „ esset Pontifex, alii hunc, alii illum variis rationibus permoti „ sequebantur. Et quamvis multi, temporis decursu, sententiam „ mutaverint, tamen Italia tota (Regno Neapolitano excepto) „ Germania, Hungaria, Anglia, Polonia, & aliæ Provinciæ Ur- „ banum secutæ sunt, eumque tamquam verum Pontificem summa „ observantia coluerunt. At verò partes Clementis amplexa est „ Gallia, & ferè Hispania tota, item Scotia, regnum Neapolitanum, & multæ præterea Provinciæ, ac Principes viri".

47. Obiit Urbanus anno 1389. & in ejus locum successit Bonifacius IX. Mortuo autem Clemente Anti-Papa, qui huic adhærebant elegerunt Petrum de Luna, qui assumpsit nomen Benedicti XIII. Mortuo Bonifacio in ejus locum Innocentius VII. anno 1405. electus est "sub ista conditione ut pro necessitate „ componendi schismatis quovis tempore Pontificatum resigna- „ ret. Nam ante electionem omnes Cardinales, Gobelino & „ Theodorico attestantibus, coram pluribus Notariis & Testibus „ solemnibus compromiserunt & compromissum servare jurave- „ runt, quod ipsi singuli & communiter, & quod si quis eorum fortè „ in Papam eligeretur, vellet omnem diligentiam, quam posset, ad- „ hibere, ut unitas Ecclesiæ reformaretur, etiamsi opus esset renun- „ tiare Papatui &c. dum tamen Petrus de Luna etiam suo Papatu „ sponte cedere vellet. Stetit promissis Pontifex optimus. Con-

„ cilium Generale ipsis Kalendis Nouembris Romæ celebrandum „ indixit: sed Romanorum seditione per Gibellinos exorta,nemo vocatorum Episcoporum ad Urbem tuto accedere potuit".

48. Sedem Apostolicam tantum tenuit Innocentius anno uno & paucis diebus, ac in demortui locum anno 1406. suffectus Gregorius XII. " Conditione eadem, qua Prædecessor, „ nimirum ut vi juramenti ante electionem à singulis Cardinali„ bus emissi pro ineunda unione & tollendo schismate, Pontifi„ catui renuntiaret, modo Anti-Papa Benedictus idem facere vellet".

49. Scripsit ille ad Petrum de Luna Litteras, in quibus hæc leguntur; "Exurgamus ambo in unum unionis affectum, con„ curramus, feramus salutem Ecclesiæ jam hoc diuturno morbo „ afflictæ. Ad hoc te invitamus, paratique sumus & offerimus no„ stro verissimo Juri & Papatui cedere & renuntiare: & efficaci„ ter faciemus, si & quando tu renuntiaveris ac cesseris præsenti „ Juri & Papatui tuo, vel de cesseris: dum tamen illi qui apud par„ tem tuam pro Cardinalibus se gerunt, sic convenire & concor„ dare cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ec„ clesiæ Cardinalibus cum effectu voluerint, ut exinde Canonica „ unius Romani Pontificis sequatur electio; ita quod prædicta „ expeditiorem sequatur effectum, celeriter mittemus oratores „ nostros, qui tecum de loco habili, & decenti ad hujusmodi rei confectionem disponant".

50. Rescripsit Petrus, "Ut de intentione nostra quàm habui„ mus circa hujusmodi schismatis extirpationem & unionis asse„ cutionem, te reddamus certiorem, tibi præsentium tenore sig„ nificamus, quod ut tam per optatum unionis negotium celerius „ consequi valeat, & securius executioni demandari, parati sumus „ una cum Collegio venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ „ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in loco securo & decenti ac „ idoneo tecum & cum quocumque Successore tuo cum prædi„ ctis, qui apud partem tuam pro Cardinalibus se gerunt, vel ge„ rent, personaliter convenire pro unione Ecclesiæ tractanda, & „ favente Domino obtinenda; ubique proviso & ordinato de his, „ quæ pro securitate ac acceleratione unionis prædictæ erunt op-

„ portuna & necessaria disponenda, parati sumus pro salute ani-
„ marum ac unione & reintegratione Christianorum, in dicta con-
„ ventione personaliter nostro verissimo Juri & Papatui purè,
„ liberè & simpliciter cedere & renuntiare: & efficaciter facie-
„ mus, si tu ibidem consimiliter renuntiabis & cedes prætenso Juri
„ tuo & Papatui, vel decedes, dummodo tu, vel quicumque Suc-
„ cessor tuus, & illi qui apud partem tuam pro Cardinalibus se
„ gerunt aut gerent, si, ut præfertur, volueritis & voluerint cum
„ effectu convenire & concordare nobiscum & cum venerabilibus
„ nostris prædictis, quod exinde Canonica unici Romani Ponti-
„ ficis sequatur electio & unio Ecclesiæ Sanctæ Dei".

51. Sed cum negotium istud Gregorius "per litteras & lega-
„ tionem qua fungebatur Antonius de Butrio juris consultus ejus
„ temporis celeberrimus, semel atque iterum frustra tentasset, a-
„ nimadversa Antipapæ tergiversatione, unionem remissius quam
„ par erat promouere cœpit, deditque in mandatis singulis Car-
„ dinalibus ne Luca discederent, ullaque de causa ipsi inter se vel
„ cum Anticardinalibus convenirent. A qua Sententia ipsi à
„ Pontifice male informato ad eundem vel alium melius infor-
„ mandum appellantes, Pisano Concilio indicto & congregato,
„ Gregorium Papam cum Speudo-Pontifice Benedicto deposue-
runt, anno Domini 1409".

Et in summum Pontificem elegerunt Petrum de Candia Mediolanensem Cardinalem sub titulo Basilicæ duodecim Apostolorum qui dictus est Alexander quintus.

52. Rationem expresserunt sess. 21. sui Pisani Concilii in cassatione processuum & dixerunt: *quia multi notabiles Doctores utriusque juris & Magistri in Sacra Pagina scripserunt pro & contra, ac publice & solemniter determinaverunt, ita ut in dubium vertatur à multis, quis à multis, quis à tempore dicti scismatis fuerit verus Romanus Pontifex, seu quis Veri Vicarii Iesu Christi fungeretur officio.*

53. Per istam electionem existimabatur exstinctum schisma:
" Sed repente majore impetu erupit majusque incendium excita-
" vit. Cum enim Gregorius & Benedictus Synodo parere, seque
" Pontificatu abdicare nollent, statim illud in controversiam ve-
" nit: num Synodus Pisana in illos animadvertere potuerit, præ-
„ sertim

" sertim cum eorum alteruter verus esset Pontifex, tametsi „uter is esset, non plane constaret. Itaque cum hoc schisma „ duo tantum capita haberet initio, Synodusque utrumque vellet " abscindere, tria simul eodem tempore subito extitere. Nam " præter Alexandrum qui in Concilio Pontifex fuerat constitu- " tus, retinebat adhuc Gregorius nomen Pontificis, eumque non- " nullæ Italiæ civitates tamquam verum Pontificem colebant: " nominabatur etiam Benedictus Pontifex, eumque maxima " Hispaniæ pars, & nonnulli Galliæ Proceres sequebantur. Erant " denique tres nomine Pontifices, ipsaque Ecclesia, quæ in duas " partes antea fuerat divisa, tunc in tres partes quodammodo di- strahebatur".

54. Alexander post electionem de se factam modico tempore supervixit decem scilicet circiter mensibus, & in ejus locum ele- ctus est Balthazar Cossa Cardinalis & Legatus Bononiensis di- ctusque est Joannes XXIII. "Qui calamitatibus Ecclesiæ tum ex " schismate, tum ex variis hæresibus, quæ pullulabant permotus, " & Sigismondi Romanorum Imperatoris consilio adductus, an- " no 1413. Concilium indixit, & ad illud Constantiam delegit. " Inchoato Concilio anno 1414. in Novembri, tametsi ob eam " causam potissimum erat coactum ut Schisma extingueretur, nun- " quam tamen in eo elaborarunt Patres, ut singulorum Pontifi- " cum jus perpenderent, aut quis reliquis præferendus esset, ra- " rationibus & argumentis exquirerent. Erat enim difficillimum, " vixque unquam ad exitum fuisset causa perducta. Itaque Patres " id unum curarunt, ut tres illi Pontifices de suo quisque jure de- " cederent, aliusque verus & certus, de quo nulla esset dubitario, Pontifex eligeretur".

55. Joannes in Sess. 2. cessionem Papatus obtulit his verbis " Ego Joannes Papa XXIII. propter quietem totius Populi Chri- „ stiani profiteor, spondeo, promitto, voveo & juro Deo & Ec- „ clesiæ, & huic Sacro Concilio, sponte & libere dare pacem ipsi „ Ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis Papatus, & eam facere „ & adimplere cum effectu juxta deliberationem præsentis Con- " cilii, si, & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Ange- „ lus de Corario, Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati,

„ Papatui quem pretendunt, per se vel procuratores suos legiti-
„ mos simpliciter cedant; & etiam in quocumque casu cessionis,
„ vel decessus, aut alio in quo per meam cessionem poterit dari
unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis schismatis".

56. Sed postmodum Constantia se subduxit. Patres autem Sess. 3. decreverunt quod per recessum Domini Papæ Concilium non sit dissolutum: & in Sess. 4. dixerunt in hunc modum, "in „ nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen".

"Hæc Sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium fa-
„ ciens pro extirpatione præsentis Schismatis, & unione ac refor-
„ matione Ecclesiæ Dei in capite & in membris fienda, ad laudem
„ Omnipotentis Dei, in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad
„ consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs & uberiùs unionem
„ & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit, statuit, de-
„ cernit & declarat, ut sequitur".

" Et primo quod ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata
„ legitimè, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam
„ militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet,
„ cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis
„ existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extir-
„ pationem dicti Schismaticis, & reformationem generalem Ec-
„ clesiæ Dei in capite, & in membris.

" Item quod Sanctissimus Dominus noster Papa Ioannes Vige-
„ simus-tertius Romanam Curiam, & officia publica illius, vel
„ illorum Officiarios, ab hac Civitate Constantiensi ad alium lo-
„ cum non mutet aut transferat, seu personas dictorum Officiario-
„ rum ad sequendum eum directè vel indirectè cogat, sine deli-
„ beratione & consensu ipsius sanctæ Synodi; & hoc, quo ad il-
„ los Officiarios, vel illa officia, per quorum absentiam Concilium
„ verisimiliter dissolveretur, vel lederetur. Et si contrarium fe-
„ cisset, seu faceret in futurum, aut aliquos processus, seu mandata
„ contra dictos Officiarios, vel alios quoscumque huic Concilio
„ adhærentes, etiam censuras Ecclesiasticas, aut alias pœnas quas-
„ cumque continentes, ut ipsum sequerentur, fulminasset, fulmi-
„ naret, seu fulminaverit, id totum sit irritum & inane". Acta
hæc penultima Martii 1415.

57. In

57. In Sessione 5. habita 6. Aprilis eadem repetiit paucis additis: & sic decrevit: *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Amen.

,, Hæc sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium ,, faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, & unione, & refor- ,, matione Ecclesiæ Dei in capite & in membris, ad laudem Om- ,, nipotentis Dei, in Spiritu sancto legitimè congregata, ad con- ,, sequendum facilius, securiùs, liberius unionem & reformatio- ,, nem Ecclesiæ Dei, ordinat, definit, decernit, & declarat ut se- ,, quitur.

" Et primò declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitimè con- ,, gregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam ,, repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quili- ,, bet cujuscumque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, ,, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ,, dicti scismaticis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in ,, membris.

" Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, ,, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis seu or- ,, dinationibus, aut præceptis hujus sacræ Synodi & cujuscumque ,, alterius Concilii Generalis legitimè congregati, super præmissis, ,, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contuma- ,, citer contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subji- ,, ciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus ,, fuerit) recurrendo.

" Item diffinit & ordinat dicta sancta Synodus, quod Dominus ,, Joannes Papa XXIII. Romanam Curiam, & officia publica illius, ,, vel illorum Officiarios de hac civitate Constantiensi non mutet ,, ad alium locum, seu transferat, seu personas dictorum Officiario- ,, rum ad sequendum eum directè vel indirectè cogat, sine delibe- ,, ratione & consensu ipsius sanctæ Synodi. Et si contrarium fe- ,, cisset, aut faceret in futurum, aut aliquos processus, seu man- ,, data contra dictos Officiarios aut alios quascumque huic sacro ,, Concilio adhærentes, etiam censuras Ecclesiasticas vel alias pœ- ,, nas quascumque continentes, ut ipsum sequantur, fulminasset, ,, fulminaret, seu fulminaverit, totum id sit irritum & inane.

C 2 Habita

„ Habita fuit hæc Sessio quinta anno 415. 6. Aprilis, Sessio autem
„ quarta die 30. Martii ejusdem anni.

58. Ultima Maii anno eodem Joannes XXIII. cessit omni juri ad Papatum manu ad pectus apposita, affirmans: " Quod nun-
„ quam super Papatu vellet quamcumque controversiam oppo-
„ nere, nec aliquo unquam tempore de eodem Papatu se quovis-
„ modo intromitteret, imò eidem Papatui & juri, si quod in eo-
„ dem sibi qualitercumque competierat, seu si quod sibi nunc in
„ eodem competebat, purè, simpliciter & absolutè, liberèque &
„ spontè cedebat & renuntiabat. Et ibidem omni modo, via &
„ forma quibus melius potuit, resignavit, cessit & renuntiavit
„ expressè".

59. Die quarta mensis Julii Gregorius XII. (qui promiserat se Papatui renuntiaturum, si Petrus de Luna similiter pro bono unionis & tollendo schismate renuntiaret) inductus à Concilio ut præviè feceret, per Procuratorem suum Carolum de Malatestis munitum etiam Bulla ad id faciendum, renuntiavit. Renuntiationis fuit hic tenor: "Ego Carolus de Malatestis Arimini in tem-
„ poraliibus Vicarius, pro Sanctissimo in Christo Patre Domino
„ Gregorio Divina providentia Papa XII. & Sanctæ Romanæ
„ Ecclesiæ Generalis, atque ejusdem Sanctissimi Domini nostri
„ Papæ Procurator, habens ad infrascripta plenum, speciale & ir-
„ revocabile mandatum, quemadmodum constat per Bullam au-
„ thenticam Sanctissimi Domini nostri prædicti proximè lectam,
„ nulla oppressus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore,
„ ut omnibus apertè pateat per effectum, quanta sinceritate, quan-
„ taque cordis affectione Sacram unionem & reintegrationem
„ Christianorum in unitate Sanctæ Matris Ecclesiæ prosecutus
„ fuit, prosequaturque per viam etiam renuntiationis inclusivè,
„ purè & liberè & sincerè procuratorio nomine ipsius Sanctissimi
„ Domini nostri, Domini Gregorii Papæ XII. in nomine Patris
„ & Filii & Spiritus S. renuntio & cedo expressè in his Scriptis,
„ realiter & cum effectu, juri, titulo & professioni, quod, quem &
„ quam ipse habet in Papatu, & resigno nomine præfati Domini
„ nostri Papatum & omne jus Papatus, titulum & possessionem,
quod, quem & quam habet coram Domino nostro Jesu Christo,

qui

„ qui Ecclesiæ suæ Sanctæ est Caput & sponsus in hac Sacro-San-
„ cta Synodo & Universali Concilio, Sanctam Romanam & Universalem Ecclesiam repræsentante".

60. Supererat ex illis tribus Petrus de Luna, vocatus Benedictus XIII. qui vigore factæ promissionis renuntiare pariter tenebatur. Sed hic fidem fregit, nec Sigismondi Imperatoris, qui ad Regem Aragonium pro illo inducendo ad resignandum profectus fuerat, salutaribus monitis deferre voluit. Itaque Concilium contra illum procedendo absolvit omnes ab ejus obedientia: & à Principibus aliisque, à quibus fovebatur, ferè omnibus desertus fuit. Ac inde tandem ad novi Pontificis electionem, qui solus ab Ecclesia agnosceretur processum: fuitque electus Odo de Columna Cardinalis ipso die S. Martini xi. Novembris anno 1417. dictusque est Martinus V.

61. Nihil autem ab eo illorum, quæ in Concilio prædicto acta sunt ante ejus assumptionem, confirmatum reperitur, nisi condemnatio errorum Joannis Wicleff, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga.

62. Inter quos hi reperiuntur, quæ non parum Gallicanæ declarationi, & interpretationi Decreti Constantiensis obstant.

"Si Papa sit præscitus & malus & per consequens membrum
„ diaboli, non habet potestatem super fideles, sibi ab aliquo datam, nisi fortè à Cæsare".

Secundò, "Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum".

Tertiò, "Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias".

Quartò, "Petrus non est nec fuit Caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ".

Quintò, "Non oportet credere (nota) quod iste quicumque est
„ Romanus Pontifex sit Caput cujuscumque particularis Ecclesiæ Sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit".

Sextò, "Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum
„ in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter
„ recipiat à Deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium
„ Vicariatus requiritur & morum conformitas, & instituentis authoritas".

Septimò

Septimò, "Papa non est verus & manifestus Successor Apo-
„ stolorum Principis Petri, si vivit moribus contrarius Petro: &
„ si quærit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Scarioth. Et pari
„ evidentia Cardinales non sunt veri & manifesti Successores Col-
„ legii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolo-
„ rum, servantes mandata & consilia Domini nostri Jesu Christi".

Octavò, "Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc
„ ut Judas Apostolus est diabolus, fur & filius perditionis, & non
„ est Caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

Nonò, "Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundùm
„ Officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secun-
dùm Officium".

63. Inter Articulos autem, quibus ipse una cum Concilio censuit interrogandos illos, qui suspecti essent errorum Joannis Wicleff. Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, fuerunt hi: "*Vtrum
„ credat quod Beatus Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi & solvendi super terram*".

Item, "*Vtrùm credat, quod Papa Canonicè electus, qui pro tempore fue-
„ rit, ejus nomine proprio expresso, sit Successor Beati Petri, habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei*".

Item, "Utrum credat, quod Papa vel alius Prælatus propriis
„ nominibus Papæ pro tempore expressis, vel ipsorum Vicarii,
„ possint suum subditum Ecclesiasticum sive sæcularem propter
„ inobedientiam sive contumaciam excommunicare, ita quod talis
„ pro excommunicato sit habendus".

ARTICVLVS V.

Inquiritur propinquius in particulas paragraphi secundi Declarationis.

64. Repeto verba dicti paragraphi secundi: "*Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus, Christi Vicariis, rerum Spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione*

gione custodita decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione 4. & 5. continentur: nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

65. In Constantiensi Concilio nihil invenio, quia quidquam statuatur *De authoritate aliorum Generalium Conciliorum habitorum vel habendorum eò tempore, quo est certus & indubitatus in Ecclesia Romana Pontifex & Petri Successor.* Omnia verba Decretorum *Sess.* 4. & 5. quatenus de authoritate Concilii agitur, concepta sunt verbis de ipsa sola agentibus. Nam in Sess. 4. sic incipit decretum, *Hæc sancta Synodus Constantiensis.* Et paulò post: *Ipsa Synodus in Spiritu S. congregata.* Eodem modo dicitur in Sess. 5. *Hæc sancta Synodus.* Item, *Ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata &c.*

66. De approbatione Apostolica, quæ significatur per illa *Declarationis* verba *à Sede Apostolica comprobata*, nihil quoque reperio, quod concernat Sessionem quartam & quintam: sed solum quod concernat condemnationem errorum Wicleff, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga: excepto eo, quod Gregorius XII. contendens cum duobus aliis de Papatu, fecit: de quo posteà.

67. In Sess. 40. Tractatum fuit de *reformationibus super diversis Punctis, de numero & qualitate Cardinalium reservationibus, annatis, gratiis exspectativis &c.* Sed præmittitur hoc modo, *Reformationes facienda per Papam una cum Concilio antequam Concilium dissolvatur.* Deinde in contextu dicitur, " Sacro-sancta generalis Synodus Con-" stantiensis, in Spiritu Sancto legitimè congregata universalem " Ecclesiam repræsentans, statuit & decernit, quod futurus Ro-" manus Pontifex per Dei Gratiam de proximo assumendus, cum " hoc Sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes, de-" beat reformare Ecclesiam in Capite & in membris & curiam " Romanam, secundum æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ, " antequam hoc Concilium dissolvatur super materiis Articulorum, quæ sequuntur &c".

68. Subjungitur in dicto paragrapho secundò *Declarationis* "ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confir-"mata. "Nullum invenio Pontificem, qui verbo aut facto significaverit se Concilio etiam generali subesse, contrarium testantur.

tur Eugenii IV. Litteræ adversùs Basiliense Concilium. Idem testantur alia plurima, quæ postea referam.

69. Illud etiam quod in *Declaratione* prætenditur, *ac totius Ecclesiæ usu confirmata* refellitur per generale Concilium Lateranense sub Julio II. & Leone X. celebratum, sessione XI. in constitutione, quæ incipit *Pastor æternus*: cujus verba statim subjungam, dum aliquid de prætenso *usu* præmisero.

70. Anno 1438. Habitum fuit Conciliabulum Bituricense, pro approbatione pragmaticæ sanctionis in Gallia. Dico Conciliabulum (sic appellatur in dicto tomo. Concil 30. pagina 809.) in quo legitur: *Basiliensis Concilii authoritas, & ipsius decretorum constantia perpetua esto; quæ nemo unquam, nec ipse Romanus Pontifex tollere, infirmare, aut transferre præsumito.*

71. Sed quid dixit Lateranense Concilium dicta sess. 11. "Nos mature attendentes pragmaticam sanctionem vel potiùs ut "dictum est, corruptelam, schismatis tempore à non habentibus "potestatem, editam, reliquæ Christianæ Reipublicæ Ecclesiæ"que Sanctæ Dei nullatenus conformem, & à claræ memoriæ "Ludovico XI. Francorum Rege Christianissimo revocatam, "cassatam, atque oblitam, authoritatem, libertatem, aut digni"tatem dictæ Sedis violare ac diminuere.... ipsamque notoriæ "nullitati subjacere, nulloque, nisi alicujus temporis, seu po"tius tolerantiæ cujusdam adminiculo fulciri. Et si Romani Pon"tifices Prædecessores nostri præfati, prout ipsi suo tempore "summopere optare demonstraverunt, corruptelam & abusionem "hujusmodi, vel malignitate temporum vel alias illi providere, "& in totum occurrere non valentes, suis temporibus tolerasse "visi fuerunt, considerantes tamen ab ipsius Bituricensis san"ctionis editione vix annos septuaginta fluxisse, nullumque in"fra hoc temporis spatium præter hoc Lateranense Concilium "legitimè fuisse celebratum, in quo cum (disponente Domino) "constituti simus, ab ejusdem improbæ sanctionis exstirpatione "& totali annulatione, sine nostra & tantorum Patrum in præ"senti Concilio congregatorum nota, ac nostræ & dictorum illa "utentium animarum periculo, abstinere seu desistere non posse "Augustino teste, judicamus atque censemus.

72. Et

72. Et verò sanctam Sedem quantum potuit restitisse constat ex iis, quæ paulò ante in eadem sessione præmissa sunt, quibus dicitur: " Et quamquam sanctio præfata ex multis nullitati notoriè subjaceret, Schismataque manifestè foveret & contineret, & propterea citatione aliqua minima præcedente, per se irrita, nulla & invalida declarari potuisset. Ex abundanti tamen Cautela idem Julius Prædecessor Gallicos Prælatos, Capitula Ecclesiarum, & Monasteriorum Parlamenta, & Laicos illis faventes, & dicta Sanctione utentes, omnesque & singulos alios in præmissis suâ communiter vel divisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus tunc non pateret accessus, in Mediolanensis, Astensis & Papiensis Ecclesiarum valuis affigendum, monuit & citavit, ut infra tunc expressum terminum, coram eo & dicto Concilio comparerent, causasque dicerent, quare Sanctio præfata, illiusque corruptela & abusio in concernentibus authoritatem Romanæ Ecclesiæ, & Sacrorum Canonum, ac Ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & invalida declarari non deberet. Cumque dicto Julio Prædecessore in humanis agente, diversis impedimentis causantibus, citatio exequi & reproduci, ac negotium abrogationis hujusmodi plenè discuti, ut intentio ipsius Julii Prædecessoris fuerat &c".

73. De authoritate verò Basileensis Concilii, ipsorumque Romanorum Pontificum, sic in eadem sessione dicitur: " & sicut Leo piæ memoriæ Papa I. Prædecessor noster, cujus in hoc libenter, quoad possumus, vestigia imitamur, ea quæ in secunda Ephesina synodo temere contra justitiam & Catholicam Fidem gesta fuerunt, postmodum in Chalcedonensi Concilio mandavit ac fecit, pro dictæ Fidei firmitate revocari: ita & nos à tam nefariæ sanctionis & contentorum in ea revocatione, retrahi aut desistere, salva conscientia, ac nostro & ipsius Ecclesiæ honore, non posse, aut debere censemus. Nec illud nos movere debet, quod sanctio ista, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta & acceptata fuerunt; cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii, per felicis memoriæ Eugenium quartum, etiam Prædecessorem nostrum factam, à

" Basiliensi Conciliabulo, seu potiùs Conventiculo, quæ præ-
" sertim post hujusmodi translationem Concilium ampliùs appel-
" lari non merebatur facta extiterint, ac propterea nullum robur
" habere potuerint: cum etiam solum Romanum Pontificem pro
" tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia
" Concilia habenten, tam Conciliorum indicendorum, transfe-
" rendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere,
" nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Pa-
" trum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecesso-
" rum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis; sed propria
" etiam eorumdem Conciliorum Confessione manifestè constet.
" In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Fe-
" lici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legi-
" mus, Nicœnam Synodum statuisse *non debere absque Romani Ponti-ficis authoritate Concilia celebrari.* " Neque nos latet, etiam eundem
" Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum ad Chal-
" cedonem transtulisse; Martinum etiam Papam V. Præsidenti-
" bus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Conci-
" lium nulla consensus ipsius Concilii mentione habita dedisse;
" Ephesinam quoque primam Synodum Cælestino, ac Chalcedo-
" nensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano,
" octavam Nicolao, octavam etiam Constantino-politanam Sy-
" nodum Hadriano Romano Pontifici Prædecessoribus nostris
" maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum
" institutionibus & mandatis in Sacris Conciliis per eos editis &
" factis, reverenter & humiliter obtemperasse. Unde Damasus
" Papa & cæteri Episcopi Romæ congregati scribentes de Con-
" cilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium
" aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum
" fieri non potuisse testantur: quandoquidem constet, Romanum
" Pontificem cujus ante omnia decebat spectari Decretum, tali-
" bus non præbuisse consensum: eumdemque Leonem Pontifi-
" cem, universis Siciliæ Episcopis scribentem, idem voluisse ap-
" paret. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro
" eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione à
" Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humi-

liter

,, liter petere & obtinere : prout ex Nicæna & Ephesina ac Ch
,, cedonensi hujusmodi ex sexta Constantinopolitana , & sep
" ma eadem Nicæna ,·& Romana sub Symmacho Synodis habit
" earumque gestis, nec non Aimari libro *de Synodis* manifestè c
" ligitur , quod etiam novissimæ Constantienses Patres feci
,, constat". Prosequamur *Declarationem* subsequitur.

74. Subsequente in ea dicitur : *Nec probari à Gallicana Ecclesia,* *eorum decretorum , quasi dubiæ sint authoritatis ac minus approbata , vi infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.* J. ex Lateranensi vidimus authoritatem Papæ supra Concilium: ad alia. Jura decernunt, illi qui affirmat, incumbere onus probati nis *l. 2. ff. de probationibus l. 21. & 23. ibidem , & late Doctores su dicta lege* 2. Ergo qui asserit decreta Sessionis 4. & 5. Conci Constantiensis esse indubiè authoritatis, & sufficienter approba etiam extra casum schismatis, hujus dicti probationem implere d bet. Ubinam ergo extat ? Undenam præthereà probatur, quod il qui dictæ Sessionis verba intelligunt de casu schismaticis, illa d torqueant ?

75. Detorta à Jurisconsultis illa interpretatio dicitur , quæ verbis legis & ratione aliena est. Verba Concilii Constantien Sessione 4. sunt : *Hæc sancta Synodus Generale Concilium faciens* , p *extirpatione præsentis schismatis , & unione, ac reformatione.* Idem rep titur Sessione 5. Sed paulò plura contra dictam Declaratione producamus de ipsius Constantiensis Concilii origine , ut in plenior ejus sensus eruatur.

76. Concilium istud fuit continuatio Concilii Pisani, ad civ tatem Constantiensem translati : sic enim in Constantiensis prin cipio legitur : " In nomine Domini nostri Jesu Christi , anno
,, nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo decimoquarto
,, Indictione septima, die Lunæ quinta mensis Novembris, Pon
,, tificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Joan
,, nis Divina Providentia Papæ vigesimi-tertii anno quinto, præ
,, fatus Sanctissimus Dominus noster Papa , qui alias *continuans*
,, *Pisanum Generale Concilium* , statuit ipsum Concilium iterum con
,, vocandum ad hanc civitatem Constantiensem : quam civitatem
,, die Dominica 28. mensis Octobris, proximè decursi, solemnite

„ & honorificè intravit, & ita convocavit ad primum diem hujus mensis":

77. Pisanum verò Concilium pro sublatione dicti schismatis fuerat congregatum. Hoc docent ipsius Acta, in quorum principio dicitur: "Qualiter hoc schisma pestiferum totius corporis " Ecclesiæ infectivum, unitatem lacerans & enervans charitatem, " Clerum involvens tortuosis laqueis, & populum subvertens, ab " erroribus quam plurimis, Ecclesiæ fidem labefactantibus, intro- " missis ortum habuit, & diuturnitatem adeò nocivam, vestræ " Sanctitati notum esse non dubitamus. Hæc enim in sui exordio " modica visa erroris scintilla, cui cum per deliberationem Con- " cilii, ut Sanctorum Patrum moris fuit, non extitit obviatum. Sed " duro proposito, via Concilii repulsa, fomenta adhibita per in- " ordinatos & perniciosos affectus, in quibus quærentes homines " quæ sua sunt, non quæ Christi, adeò in flammam proximam ex- " altavit, mundum percurrit universum, concutit Clerum, sub- " vertit populum fidem maculat, Sacramenta profanat, & Eccle- " siasticæ censuræ contemptum inducit, Ecclesiæ libertatem om- " nino extinguit, & indevotos reddit Christi charactere insigni- " tos, ut vix dignosci valeat quis existat Catholicus, cum plures " appareant legis Divinæ transgressores, & mandatorum Dei ma- " nifestissimi contemptores".

78. Ad eundem tollendi schismatis finem convocatum fuerat antea Concilium Aquiliense: unde convocationis per Greg. XII. Litteræ sic habent: "Cum tota nostræ mentis intentio sit, „ Christianorum Ecclesiam reunire, palpato per experientiam " rerum magistram, quod per viam renuntiationis, obstante ini- " quorum malitia, id efficere huc usque nequivimus, quam pure „ & sincere obtulimus, & in eadem perseverantes perstitimus, „ & adhuc persistere non desistimus, secundum formam & inten- „ tionem nostri voti & juramenti, nescientes Divini Secreta con- „ silii sæpe numero per effectum dejurantis, quia vanæ sunt cogi- „ tationes hominum, ad viam juribus & antiquis consuetudinibus „ approbatam nos convertimus, Generale Concilium, quod om- „ nes vias ad unionem includit, nullum penitus excludendo, „ quodque congregare solius Romani Pontificis esse dignoscitur,

sine

„ fine cujus authoritate factum, non Concilium, sed conciliabu-„ lum aut conventiculum dicitur & definitur existere; ad festum „ Pentecostes immediatè sequentis, & in provincia Aquilien-„ sium & Exarchatu Ravennatensi Divino Auxilio invocato, de „ fratrum nostrorum consilio, authoritate Apostolica præsen-„ tium tenore indicimus.

79. Hoc ipsum, quod de continuatione Pisani Concilii dixi, confirmatur iterum ex ipso Constantiensi Concilio, in principio ubi dicitur, "ad laudem Omnipotentis Dei, & incrementum sta-„ tus, tranquillitatis, & pacis Universalis Ecclesiæ Sanctæ Dei. „ Cum Sanctissimus Dominus noster D. Joannes Divina provi-„ dentia Papa XXIII. paterna pietate respiciens in Civitate v. idus „ Decembris, Pontificatus sui anno v. *Continuando* Sacrum Pisanum & Generale Concilium".

80. Igitur ex causa, propter quam Constantiense Concilium congregatum est, sumenda interpretatio, *Intelligentia dictorum* (inquit Hilarius, ex quo desumptum Capitulum 6. ✗. *de verbor. significationibus*) *ex causis est assumenda dicendi*: & secundùm subjectam materiam intelligenda sunt verba *l. proculus* 19. *ff. de usufr. l. insulam.* 6. *ff. de præscriptionibus l. damni infecti.* 18. *in princ. ff. de damno infect. l. Si olei.* 21. *c. locat. cap. constitutus. de relig. domib. cap. solitæ. de majorit. & obed. clem. Exivi de Paradiso. de v. s. Rol. à vall conf.* 39. *n.* 9. *& seq. lib.* 4. *& conf.* 61. *n.* 56. *lib.* 2. *Gozzadin. Consil.* 30. *n.* 10. *Alex. consil.* 179. *n.* 12. *lib.* 5. *Cephal. consil.* 179. *n.* 12. *lib.* 5. *Tusch. pract. conclus. tom.* 8. *lit. v. conclus.* 95. *Mantic. de T. & a. c. lib.* 25. *tit.* 13. *n.* 7. *sim. de prat. de interpret. ult. volunt lib.* 1. *interpr.* 2. *dub.* 2. *solut.* 12. *n.* 13.

81. Nec verò quidquam subsidii potest incontrarium prætendi ex eo, quod in dicta Sessione 4. & 5. additum sit *& pro reformatione Ecclesiæ in Membris &c.*

Etenim in omni jure *ex contextu facienda est interpretatio.* De jure hic agimus, seu Canonibus Constantiensis Concilii. Attendenda ergo sunt, non tantum nudè verba Sessionis 4. & 5. sed & sequentia. Hoc tradunt Jurisperiti omnes, *ex l.* 24. *ff. de legibus l. Si servus* 50. *§. fin. ff. de leg.* 1. *l. Item si Filiusfamilias.* 7. *§. Si filius.* 4. *ff. ad Sc. Maced. l. Cum quidam* 4. *c. de v:* 6. *l. Quamvis.* 15. *c. de fidei c. Se-*

des. 15. *de rescript. Tusch. pract. conclus. tomo* 8. *lit. v. concl.* 144. *n.*13. *Honded. consil.* 1. *n.* 50. *cons.* 2. *n.* 7. *& cons.* 51. *n.* 20. *vol.* 1. *Franc. Vivius decis.* 466. *n.* 34. *Everhard. jun. cons.* 53. *num.* 37. *vol.* 1. *Treutler. consil.*88. *n.*10. *Martin. Chemnit. inter consil. Cothm. vol.*3. *resp.*50. *n.* 30. *Sixtin. cons. Marpurgens* 10. *n.* 10. *vol.*1. *& cons.*8. *n.*29. *vol.*2. *Ioh. Frid. consil. Argent.* 83. *n.*17. *lib.* 1.

82. Qualiter istam *de reformatione* clausulam Concilium intellexerit docent Acta ejus sequentia; nam in Seff. 40. definit in hunc modum "Sacro-Sancta Generalis Synodus Constantiensis in ,, Spiritu Sancto legitimè congregata, Universalem Ecclesiam re- ,, presentans, statuit & decernit, quod futurus Romanus Ponti- ,, fex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc Sacro ,, Concilio, vel deputandis per singulas nationes debeat reformare ,, Ecclesiam in Capite & in Membris, & Curiam Romanam, se- ,, cundùm æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissolvatur".

83. In istam conditionem consensit, qui postmodum electus est Pontifex, Martinus V. sed singula *reformationis* Decreta sub ipsius nomine concepta sunt hoc modo *Martinus servus sevorum Dei* &c. id constat ex tota Seff.43.

84. Concilium ergo Constantiense non censuit se esse supra Pontificem, extra casum schismatis, quo plures se pro Pontifice gerunt: alias non erat ratio mutandi formam Decretorum *de reformatione*; sed dixisset sicut dixit *in Seff.* 4. *&* 5. dum nullus erat certus Pontifex, *Sancta Constantiensis Synodus Vniversalem Ecclesiam repræsentans* &c.

85. Non detorquentur ergo in sensum alienum Decreta Sessionis 4. & 5. dum dicitur illa *ad casum schismatis pertinere*: sed ille ipse exhibetur, quem totius Concilii contextus manifestat.

86. Sed etsi non essent subsecuta illa, quæ ex Sessione 43. retuli, adhuc ipsa juris interpretandi recta ratio postularet, ut illa restringerentur ad casum schismatis. Aliàs enim Constantienses Patres (intelligendo eorum Decreta eo modo, quo *in declaratione* intelliguntur, seu extra casum schismatis) contradicerent apertè aliis Generalibus Conciliis, Patribus, & Traditioni, quæ infra referam.

tra-

87. Certiſſima verò à Canonum & Civilium Legum peritis tradita eſt regula, *quod ubi eſt apparens aliqua contradictio, ſingulis legibus adaptanda eſt facti ſpecies diſtinguendi caſus, eaque capienda interpretatio, quæ contradictionem tollat. Cap. inter dilectos §. cæterum de fid. Inſtr.* Zaſ. *conſ.* 13. *n.*14. *lib.*2. Cacher. *deciſ.*73. *n.*36. *&* *deciſ.* 76. *n.* 11. Menoch. *de A.* 1. *q. caſu* 199. *n.*23. Jaſon. *in Vſib. Feud. n.* 13. *Rol.* à Vall. *conſ.* 85. *n.* 16. *lib.* 4. Decius *conſ.* 190. *n.* 4. *&* *conſ.* 358. *n.* 4. *& conſ.* 491. *n.* 6. *& conſ.* 619. *n.* 5. Cephal. *conſ.* 156. *n.* 23. *lib.* 2. Ruin. *conſ.* 109. *n.* 9. *lib.* 1. *l.* 1. *§. de quibus. de novo cod. fac. cap. cum tu.* 16. *extr. de teſtibus.* Menoch. *conſ.* 2. *num.* 6. Surd. *Concil.* 230. *n.* 28. Fuſar. *conſ.* 199. *n.* 58. Sixtin. *conſ.* 18. *num.* 145. *vol.* 3. Steph. Gratian. *diſcept. forenſ. c.* 554. *n.* 31.

ARTICULUS VI.

Inquiritur circa Paragraphum tertium Declarationis.

88. IN eo dicitur: "Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos: valere etiam regulas, mores & inſtituta à Regno & Eccleſia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta & conſuetudines tantæ Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmatæ, propriam ſtabilitatem obtineant". Particula *hinc* videtur hic eſſe illativa, & ſignificare conſequentiam ex illis, quæ antecedenter in *Declaratione* dixerat Clerus Gallicanus. Ex Logica verò didicimus quod conſequens ſequatur debiliorem partis antecedentis: cujus ſi aliqua pars ſit falſa vel probabilis tantum, non poteſt elici veritas vel probabilitas major, quam fuerit probabilitas antecedentis. An autem probabile, an potius non probabile ſit, quod dictum eſt in præcedenti paragrapho *Declarationis*, colligi poteſt ex illis, quæ dixi ad eundem.

89. Quibus addo breviter alia. Primo, Concilium iſtud Conſtantienſe ſolum fuit indictum à Joanne XXIII. non autem à Gregorio XII. nec à Benedicto XIII. qui etiam ſe pro Pontificibus gere-

gerebant, & qui multos Cardinales, Principes & Episcopos habebant adhærentes: qui etiam congregationem Prælatorum à Joanne XXIII. indictam, minimè esse legitimam sentiebant, & quidem illo ipso tempore quo emanarunt decreta Sessionis 4. & 5. quæ à parvo numero Cardinalium & Prælatorum Joanni adhærentium habitæ sunt. Decreta ergo illa non possunt dici esse Generalis alicujus Concilii. Nec objici potest sufficisse ad generalitatem quod Gregorius & Benedictus, illisque adhærentes fuerint citati: citatus autem & contumax pro præsente habeatur juxta Juris interpretationem. Contumacia enim, non committitur, nec ejus pœna incurritur; si non constet de jurisdictione citantis. Hæc apud Jurisconsultos, certa sunt. Non fuit verò declaratum vel per Ecclesiæ consensum, vel per generale aliquod Concilium, quod Joannes esset verus & indubitatus Pontifex.

90. Secundò, Concilium Constantiense de se, & authoritate sua tantum loquitur: dicit enim, *hæc sancta Synodus Constantiensis &c.* nihil verò dicit de aliorum Conciliorum Generalium supra Papam authoritate. Longè minus quando ipse est indubitatus. Ergò si illud quod in dicto Concilio dicitur, Sess. 4. & 5. trahatur, seu extendatur ad alia Generalia Concilia, hoc non potest fieri nisi per argumentum à certa specie ad genus distributum; quod à dialecticis omnibus, Jurisconsultis, & Theologis est improbatum.

91. Scio quidem, *in Iure sapè ab una specie ad aliam valere argumentum: & ex casu, in una lege aut Canone deciso, procedi ad alium.* Eodem modo sacræ Scripturæ Interpretes procedunt. Ita quoque argumentatur Paulus *ad Romanos cap.* 4. *&* 9. *& in aliis epistolis sæpius.* Argumentatur etiam Christus *Marci* 2. *v.* 25. 26.

92. Sed ista Argumenti species procedit posita casuum similitudine: similitudo autem consistit in rationis identitate, vel rationum paritate. Priori casu argumentum Doctores vocant *à ratione Legis:* posteriori autem vocant *à simili.* Istis probandis non immoror. Sunt enim ferè nota Tyronibus, & latè deducit illa Everardus *in locis legalibus, loco* 13. *&* 79. Quæro ergo, ubinam illa est identitas, vel paritas rationis inter casum, quo nullum est certum visibile Caput Ecclesiæ, & quo est tale, agnitum ab omnibus.

93. For-

93. Fortasse particula *hinc* in dicta *Declaratione* est illativa
præcedentibus, sed relativa ad id, quod sequitur, *per Ca*
nes spiritu Dei conditos. Verum nulli ejusmodi Canones extant
tomis Conciliorum Generalium, nisi Decreta toties dicta Conc
Constantiensis, & conciliabuli Basileensis & Bituriensis, repr
batorum per Eugenium IV. & per Concilium Generale Late
nense. De Basileensi plura dicam postea. Constantiense eti
Concilium nullibi quò ad ea, quæ dictam Sessionem 4. & 5. co
cernunt, reperitur à Summo aliquo indubitato Pontifice appr
batum: sine cujus approbatione nec articulum fidei, nec Can
nem faciunt Conciliorum Decreta. Ubi ergo extant illi Sacri C
nones *Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati?*

94. Quid refert igitur, quod Constantiense Concilium *seff.*
dixerit de se, *potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscu*
que status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his q
pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem g
neralem Ecclesiæ Dei in Capite & in Membris. Quandoquidem dum i
dixit nullum esset visibile Caput certum Ecclesiæ. Licet ex trib
Pontificatum prætendentibus, esset aliquis, sed hic incertus. Ig
tur de Papa incerto loquitur, dum dicit *etiamsi Papalis existat.*
in præsenti tempore dicit *existat*: non autem addit, *vel quandocun*
que, & qualiscumque extiterit, qui loquendi modus maximè est fam
liaris Canonibus; dum generalem, & non restrictam ad tempu
aut personas, statuunt legem. Hoc sciunt omnes, qui vel à l
mine Canones salutarunt.

95. Quin imò ipsummet Constantiense Concilium de autho
ritate Sessionis 4. & 5. dubitavit vehementer Hoc evidenter co
stat ex iis, quæ sunt paulò post subsecuta. Sunt verò hæc. Actu
fuit cum Gregorio XII. uno ex tribus, se pro Pontifice gerent
bus, ut non obstante contumacia Benedicti XIII. tergiversan
tis contra fidem datam Papatui renuntiandi, renuntiaret ips
& Acta per Concilium approbaret. Vir optimus Gregorius, a
non nisi pacem, & Ecclesiæ bonum quærens, commissionem ded
Carolo de Malatestis, hujus tenoris:

96. " Cum ad laudem Omnipotentis Dei & bonum Ecclesi
" suæ sanctæ, & schismatum extirpatione, prô dolor, nunc vigen

" tium, ultra alios nuntios noſtros,te tamquam perſonam noſtram " ad Majeſtatem regiam Conſtantiam perſonaliter deſtinemus, " nos volentes pariter & optantes, ut eò perfectius perficere va- " leas in præmiſſis, quo majori fueris authoritate munitus: tibi " cum ſubordinata ſit renuntiatio Canonicæ & certæ electioni " unici futuri ſummi Pontificis, & alia etiam neceſſaria habeant " intervenire, pro prædictorum effectu ſalubriter conſequendo, " tibi conveniendo cum illis, cum quibus tuæ providentiæ vide- " bitur expedire, modis congruis & opportunis, tractandi, practi- " candi & concludendi, quæ tibi viſa fuerint utilia & neceſſaria " ad prædicta, etiam ſi forent talia, quæ mandata alia, & tibi data " excederent, quantumcumque mandatum exigerent ſpecificum " & ſpeciale, & ſi videbitur tibi, aliqua magis convenire perſonæ " Eccleſiaſticæ, illa expediri faciendi per perſonam Eccleſiaſticam " quam elegeris, & ei ſic electæ & juxta tuam diſpoſitionem fa- " cturæ, præſentium tenore de plenitudine Apoſtolicæ poteſta- " tis plenam & liberam concedimus facultatem".

97. Carolus juxta poteſtatem ſibi factam ſubſtituit Cardinalem Raguſinum, qui Concilium ſic eſt allocutus: " Quia San- " ctiſſimus Dominus noſter, Dominus Gregorius Papa duodeci- " cimus audivit, intellexit, atque multipliciter eſt informatus de " celebri fama hujus ſanctæ Congregationis pro Generali Conci- " lio Conſtantienſi in Chriſti nomine congregatæ, idcircò idem " Dominus noſter avidus Eccleſiaſticæ unionis & reformationis, " & extirpationis hæreticæ pravitatis, commiſſionem fecit, prout " in ejuſdem litteris, nunc lectis, dignoſcitur contineri. Cujus " quidem commiſſionis, & mandati vigore, Ego Ioannes miſera- " tione Divina Tituli Sancti Sixti Presbyter Cardinalis Raguſi- " nus vulgariter nuncupatus, pro me & collegis meis in hac parte " hic exiſtentibus, in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti, " Amen. Authoritate ipſius Domini noſtri Papæ, quantum ad " eumdem ſpectat, ut prædicta ſancta unio, reformatio, & hære- " ticæ pravitatis extirpatio, Deo adjutore, meliorem ſortiantur " effectum, & ut ſub diverſorum profeſſione Paſtorum diffidentes " Chriſtiani in unitate ſancta Matris Eccleſiæ, & charitatis vin- " culo conjungantur, iſtud ſacrum Concilium Generale convoco,

&

,, & omnia per ipsum agenda authorizo & confirmo , juxta
,, dum & formam, prout in litteris Domini nostri nunc lectis
,, nius continetur".

98. Concilium non judicavit suam authoritatem esse certa indubitatam etiam supra Papam, prout ex Sess. 4. & 5. praeter tur in *Declaratione :* sed potius de sua illa auctoritate vehemente dixi) dubitavit, & dictam approbationem ad Decretorum cert dinem pertinere significavit. Peractis enim à Cardinali Rag no illis, quæ jam diximus, sic processit : "Sacro-Sancta Gene
,, Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitimè congrega
,, Ecclesiam Catholicam repræsentans, ut istæ duæ obedientiæ
,, delicet illa, quæ profitetur Joannem XXIII. olim fuisse Papa
,, & illa quæ profitetur Dominum Gregorium XII. esse Papa
,, uniantur una alteri , & altera alteri conjungantur sub Ca
,, Christo, dictas convocationem , authorizationem , approba
,, nem , & confirmationem nomine illius Domini , qui in sua o
,, dientia dicitur Gregorius XII. nunc factas , quantum ad ip
,, spectare videtur, quia abundans ad *certitudinem* pro bono c
,, tela nemini nocet, sed omnibus prodest, in omnibus & per c
,, nia admittit".

99. Nec admisit tantum , sed maximis honoribus eundem G gorium cumulavit, decernens inter cætera Sess. 17. "Quod dic
,, Dominus inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sit , &
,, debeat Episcopali titulo , per præsens Poncilium , aut futu
,, Romanum Pontificem suo tempore pro pace Ecclesiæ declar
,, do, cum omnibus honoribus & emolumentis, & aliis debitis
,, consuetis perpetuo insignitus , secundusque post Romar
,, Pontificem dignitate & ordine habeatur,nec aliquis Sanctæ I
,, manæ Ecclesiæ Cardinalium sibi in hoc præferatur. Et pa
,, post : " Insuper dicta sancta Synodus statuit, ordinat, & de
,, nit, quod dictus Dominus Angelus (qui dictus erat Greg.X
,, sit sanctæ Sedis Apostolicæ in provincia Marchiæ Anconita
,, & Præsidatus Farcensis, cum provisione , salario , gagiis , mu
,, ribus & honoribus solitis, Cardinalis Legatus de latere in sp
,, tualibus & temporalibus , atque Vicarius Generalis irrevoc
,, liter permansurus,cum omnibus & singulis facultatibus & aut

 rit

„ ritatibus hujusmodi Legatorum, quæ Legatis talibus concedi per „ Sedem Apostolicam in forma plenissima consueverunt: quodque eidem Domino Angelo favores & gratiæ Sedis Apostolicæ „ in præbendis, beneficiis & aliis provisionibus largifluè impen„ dantur".

100. Quis dubitat quin æquè desideraverit, ut idem faceret ex parte sua Benedictus XIII. dicit enim in eadem Sessione Synodus: *Si Dominus ille, qui in sua obedientia dicitur Benedictus, consimiliter renuntiaverit & cesserit sponte juri, titulo & possessioni Papatus, quod, quem & quam se prætendit habere, & ipsos ambos in eodem loco sive tractatu simul personaliter concurrere contingat, quod tunc in sacri Concilii ante electionem, & futuri Pontificis Romani post electionem potestate existat, inter ipsos duos gratificando, quis præmineat, ordinare.*

Unde meritò inquiro, quinam sint illi *Canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati*, ad quos *Declaratio* appellat. Non sunt Constantienses in sensu, qui prætenditur, non Basilienses, non Bituricenses. Hi enim sunt manifestè per Generale Concilium Lateranense reprobati: & quidem in illa ipsa Sessione, in qua plurima, quæ specialiter Galliam concernunt, concordata & decreta sunt circa beneficiorum collationes.

ARTICVLVS VII.

Inquiritur circa secundam partem paragraphi tertii Declarationis.

101. SIc habet pars secunda paragraphi tertii: *Valere etiam regulas, mores & instituta à Regno & Ecclesiâ Gallicanâ recepta, Patrumq; terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmata, propriam stabilitatem obtineant.*

102. Consuetudines, quæ à Sacris institutis non deviant sed permanent intra Patrum terminos inconcussos approbant ipsimet Pontifices, & approbationes illarum plurimas in decreto Gratiani.

ciani expressas, voluit etiam in scholis legi Gregorius XIII. nec non ante eum Pontifex Sanctissimus Pius V. qui interveniente sua Catholica Majestate, pro dote lectionis *Decreti* illi univit Canonicatum Regiæ collationis.

103. In eo sic legitur: *Scit Sancta Romana Ecclesia quod nihil obsunt saluti credentium diversa pro loco & tempore consuetudines* canone 3. dist. 12. *diuturni mores consensu utentium approbati, Legem imitantur* cap. 6. ibidem, *consuetudinis & usus longevi non levis est authoritas,* c. 4. distintione 11. Verum (ut credo) non negabit quispiam ea quæ sequuntur: *non usque adeo sui momento valitura est consuetudo, ut rationem vincat,* l. 2. cod. quæ sit longa consuetudo. Nec, quod dixit Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 5. ex Cypriano, *frustra qui ratione vincuntur consuetudinem nobis objiciunt quasi consuetudo major sit veritate &c.* cap. 7. dist. 8. Item quod dicitur ibidem cap. 3. " Mala consuetudo, quæ non minus, quam pernitio-
" sa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitus evellatur in pri-
,, vilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævarica-
" tiones, & variæ præsumptiones celeberrimè non compressæ
" pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.

104. Gregorius Nazianzenus in oratione ad cives Nazianzenos angoris plenos & Magistratum iratum etiam ait: "suscipitis-
" ne libertatem verbi? Libenter accipitis, quod lex Christi Sacer-
,, dotali vos subjicit potestati, atque istis tribunalibus subdit? de-
,, dit enim & nobis potestatem: dedit & principatum multò per-
,, fectiorem principatibus vestris, aut numquid justum vobis vi-
,, detur, si cedat spiritus carni; si terrenis cælestia superentur;
,, si divinis præferantur humana?

105. Non abludit, quod scripsit Innocentius Primus ad Eugubinum epist. 1. " Quis nesciat aut non advertat, id quod à Prin-
" cipe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, & nunc
" usque custoditur, ab omnibus debere servari? nec superinduci,
" aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat; aut
" aliunde accipere videatur exemplum? præsertim cum sit mani-
" festum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque
" Siciliam Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias,
" nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successo-

res

„ res constituerunt Sacerdotes : aut legant , si in istis Provinciis „ alius Apostolorum invenitur , aut legitur docuisse. quod si non „ legunt , quia nusquam invenitur ; oportet eos hoc sequi , quod „ Ecclesia Romana custodit ; à qua eos principium accepisse non „ dubium est : ne dum peregrinis sermonibus student , caput institutionum videatur omittere.

106. Persuadeo mihi , quod sicut in aliis regnis , ita in Gallia diversæ sint leges , mores seu consuetudines , aliæ velut communes & totius Regni , aliæ singularum Provinciarum , aut etiam Civitatum propriæ. Præterea aliæ Civiles, aliæ Ecclesiasticæ: & in diversis Diocesibus variæ. Vereor , ne admodum periculosa sit illa generalis approbatio , expressa in declaratione , *valere regulas, mores & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta.* exactum certe , & ingens longi temporis examen postularet omnium illorum discusso , sine quo examine & discussione generalis statutorum & consuetudinum , etiam facta à Sancta Sede , confirmatio nullam penitus tribuit firmitatem iis , quæ nulla aut injusta sunt : prout late tradunt Doctores ad *cap. 4.* ※ *de Confirmatione utili vel inutili* , & plurimorum tribunalium , etiam Galliæ , sententiis extat declaratum.

ARTICVLVS VIII.

Ad paragraphum quartum Declarationis. De quæstionibus Fidei, & authoritate definitionum Apostolicæ Sedis, super iisdem.

107. PAragraphus quartus sic habet : *In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes , ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere , nec tamen irreformabile esse judicium , nisi Ecclesiæ consensus accesserit.*

Inquiro hic , cujus Ecclesiæ consensus requiratur, an universalis , omniumque Prælatorum & Episcoporum ? Etiam Capitulorum tam Cathedralium, quam Collegiatorum? An verò solorum Episco-

piſcoporum? & an omnium totius orbis, etiam Japonum, Indorum, & aliorum apud infideles, vel hæreticos latitantium? Quandonam tandem hic habebitur. Dum expectabitur ab aliquibus aliorum conſenſus, ex his forſan mortui erunt plures, qui fortè conſenſerint; ſed de quorum conſenſu non conſtat authenticè. Illorum igitur, qui ſucceſſerint, novus conſenſus erit expectandus.

108. Si Eccleſiæ nomine intelligatur, non omnium Epiſcoporum & particularium Eccleſiarum univerſitas, ſed majoris partis collectio: orietur facti quæſtio inextricabilis; quia unde ſcietur quod illi, quos conſenſiſſe conſtabit authenticè, majorem partem Eccleſiæ conſtituant: præſertim cum ſint tot in ignotis partibus conſiſtentes, vel in notis latentes cauſa perſecutionis, qui fortè tantum conficiunt numerum, quantum Epiſcopi totius Europæ.

An fortè *Declaratio* intelligitur de majori parte Europæ, etiamſi non faciant majorem partem Epiſcoporum orbis? At verò cur harum conſenſus contra alios faciet jus, & definitionem [illegible] *lem.* Deinde alibi dicit Cicero. [illegible] *arrogantia in ſe ſit odioſa, tum illa, quæ eſt ingenii, doctrinæque multo moleſtiſſima.* Etiam dicit Paulus, *ſcientia inflat*, ac difficillimè, (qui contra id, quod decretum fuerit, docuerint, laudarint, conſuluerint) ſententiam mutabunt, quidlibet moturi potius, quàm victi vel erraſſe videantur. Plenæ ſunt hujuſmodi exemplis Hiſtoriæ:

109. Utinam hoc tempore malum ejuſmodi non ſerpat in Gallia, per aliquos, Bullæ Alexandri VII. contra Janſenii librum, adverſarios: qui ex hac *Declaratione* prætendent illam Innocentii X. aliorumque Pontificum Bullas, aut Decreta in materia fidei definitiva, eſſe adhuc dubiæ authoritatis: quia *necdum acceſſit Eccleſiæ conſenſus.*

Satiſque ipſis erit, ſi negent: quia juxta leges, Canones, & conſtantiſſimam omnium tribunalium praxim, illi incumbit probatio, qui affirmat, non qui negat.

110. Et quanta iterum hic erit ſingulis Epiſcopis moleſtia & ſumptus ut ex toto orbe, (etiamſi foret ex ſola Europa) ab omnibus Eccleſiis, vel ſaltem majori earum parte obtineant authenticam conſenſus demonſtrationem. Qua in re ſi Epiſcopus negligens ſit, væ ipſi: ſcriptum eſt enim à Paulo ad omnes Epiſcopos ſub perſon-

ſena Timothæi, *bonum depoſitum cuſtodi.* Quomodo cuſtodiet Epiſcopus bonum illud *depoſitum fidei* (de quo agit Paulus) ſi non acceperit? Quomodo accipiet, ſi res non ſit fidei ante Eccleſiæ conſenſum? Quomodo & quando tandem obtinebitur in occurrentibus tam ſæpè fidei quæſtionibus?

111. Præſertim cum declarationis verba ita habeant, *nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* Iſta enim aſſertio *nec tamen irreformabile eſſe*, eſt negativa adeoque univerſalis: quia particula *nec* præcedit utrumque terminum. Univerſalitatem confirmat exceptio, *niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* Eſt enim recepta apud omnes Juriſperitos Regula: *Exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, ſeu extendit diſpoſitionem ad reliquas ſpecies aut caſus, de quibus agitur in dicto, à quo fit exceptio.* Vide Everardum *in loco ab exceptione ad regulam.*

112. Fruſtra, aut non niſi ſub periculo definitionem Apoſtolicam acceptabit unus Epiſcopus vel Concilium aliquod Provinciale, imo & Nationale, quia iſta acceptatio non efficiet irreformabile judicium, *niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*: & ideò nec Epiſcopi, nec Concilium etiam Nationale facilè conſenſum præſtabit, ne non præſtent aliæ Eccleſiæ partes: vel etiam ob metum, ne ipſi acceptantes ludibrio habeantur, eoquod nimis citò conſenſum præſtiterint.

113. Damnet ergo Provincialis aliqua Synodus, jungatur illi tota Sorbona, petatur à ſanctâ Sede, & obtineatur judicii confirmatio: totum hoc erit inutile ad exterminationem erroris: quia an error ſit vel fuerit pendet ex Eccleſiæ judicio & aſſenſu, ſine quo ſummi Pontificis & multo magis aliquorum Epiſcoporum ju-judicium *non eſt irreformabile.* An denique Concilium Generale, toties erit congregandum, quoties novus aliquis emergit error, ut per illud conſtet de Eccleſiæ conſenſu? Aberuntne ergo perpetuo Epiſcopi ab Eccleſiis.

114. Non ita profectò docuiſſe mihi videtur Auguſtinus, aliique partes & Doctores, quos latius adducam parte 2. tantum hic paucas Auguſtini & Proſperi, ejus diſcipuli, ſententias per modum ſpeciminis exhibeo.

115. Nullo Concilio Generali damnati erant Pelagiani: non erat

erat expetitus totius Ecclesiæ, aut majoris partis ejusdem, nec exspectatus consensus. Pauci tantum Episcopi errores Pelagianorum diversos detulerant ad Sanctam Sedem, & per eam damnati fuerant. Indubitanter tamen fuisse irretractabile judicium ejusdem, male ad novum examen provocari, aut ad Generale Concilium censuit Augustinus multis locis. Nam Serm. 2. de verbis Apostoli cap. 10. scribit,

116. *Fratres mei, compatimini mecum. Vbi tales inveneritis, occultare nolite, non sit in vobis perversa misericordia: prorsus ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Iam enim de hâc causâ duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Item lib. 3. contra Jul. c. 1.

117. " Nec ampliùs vobiscum agendum est, quantum ad jus ,, examinis pertinet, nisi ut prolatam de hâc re sententiam cum ,, pace sequamini. Quod si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa ,, inquietudine conhibeamini. Similes autem estis potius Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem ,, certaminis consolari, & ideò videri aliquid apud eos, quibus ,, contemptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen; ,, interpellantes eos, & libellum dantes, provocantesque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quam formidabant in certamine superari. Nec sperabant ,, victoriæ gloriam, sed famam requirebant collationis, qui multitudinis non habebant. Si ergo putatis, ideò vos esse victores, ,, quia non vobis datum est quale desideratis examen: Maximianistæ vos ad ista vaniloquia præcesserunt: quamvis dederit vobis Ecclesia Catholica judicium quale debuit, *Vbi causa vestra finita est.*

118. Et lib. 4. ad Bonifacium cap. 12. scribit iterum, " An ,, verò congregatione Synodi opus erat, ut apertâ pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimæ inveniantur, propter ,, quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint atque ,, incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari ,, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitan-

„ dæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tan-„ tum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed in libe-„ ro arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, „ ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. „ Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente „ pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum po-„ tius vigilantia & diligentia pastorali, *Post factum illis competens* „ *sufficiensque judicium*, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi „ sint; sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute „ atque integritate vitentur.

119. Et antea lib. 1. cap. 4. contra eundem Julianum. *Puto tibi, eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.*

In hac sententia perstitit Augustinus usque ad mortem: nam lib. 2. *Operis imperfecti*, cui immortuus est, scripsit: "*vis non timere* "potestatem? bonum fac. Non est autem bonum contra Apostolicum sensum exercere & asserere Hæreticum sensum".

120. Augustini discipulus Prosper in carmine de ingratis c. 2. dicit.

——— Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ Pastoralis honoris
Facta Caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet. ———

121. Et contra Collatorem cap. 41. " Non ergo cum istis no-„ va acie dimicandum est: nec quasi contra ignotos hostes specia-„ lia sunt ineunda certamina: tunc istorum machinæ fractæ sunt, „ tunc in superbiæ sociis ac Principibus corruerunt, quando beatæ „ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mu-„ crone percussit.

"Unde & venerabilis memoriæ Pontifex Celestinus, cui ad Ca-„ tholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona „ largitus est: sciens damnatis non examen judicii, sed solum „ pœnitentiæ remedium esse præstandum: Cælestium quasi non „ discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit.

" jussit extrudi : adeò & Prædecessorum Suorum statuta ,
" creta Synodalia inviolabiliter servanda censebat : ut quod
" meruerat abscindi, nequaquam admitteret rettactari".

ARTICVLVS IX.

Examen particulæ ultimæ Declarationis.

122. IN ea dicitur : *quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias canas atque Episcopos iis Spiritu Sancto authore præsidentes tenda decrevimus ; ut idipsum dicamus omnes , simusque in sensu & in eâdem sententiâ.* Qui sint illi Patres etia quærimus : & an sint aliqui vel aliquis, admodum dubitamus, in contrarium tam apertè Augustino & Prospero , nec non cæterorum caterva, quam exhibebo in parte secunda, dante D

123. Scimus Græcos Schismaticos Romanæ Cathedræ pr patum , & in quæstionibus fidei definiendis authoritatem s mam impugnasse. Ex Actis Florentini Concilii didicimus ec corrupisse Sanctorum Patrum, etiam suorum , loca, ut faciliù ctrinæ Sedis Apostolicæ reluctarentur. Hoc ipsum Marco I sino coram toto Concilio objecerunt in faciem Latini , & p runt. Scimus in variis libellis, qui post Bullam Innocentii X. licè prodierunt , multa fuisse dicta & congesta , quibus tam Innocentii, quam Alexandri VII. definitionem, dubiam con tur reddere : quæ dante Deo parte tertia excutiemus.

124. Scimus varios hæreticos v. g. Pelagianos , ipsumque therum ab Episcopis aut famosis Universitatibus de errore no provocasse ad eandem Sedem, tamquam ad ultimum tribunal ubi etiam hic se condemnatos viderunt , provocasse ad Gene Synodum. Hoc inquam fecerunt Pelagiani , fecerunt & L rani. Sed hi satis scientes numquam à Concilio retractandum fuerat priùs à Leone X. definitum , (quamquam toties ad C lium invitati) adesse noluerunt , sed subterfugerunt , nunc texendo defectum salvi conductus, nunc dicti Concilii Patr

esse suspectos. Atque tandem non tantum in authoritatem Sanctæ Sedis, sed etiam in Concilii definitiones obstrepere ceperunt. Et ut seducerent imperitos, vel ut aliquid dicere viderentur, fragmenta quædam Patrum & Canonum, in pravum sensum contorta, adduxerunt: etiam hoc sæculo Marcus Antonius de Dominis, ex Archi-Episcopo Spalatensi factus Apostata, & in Angliam profugus; ex cujus lib. 5. *de Republica cap.* 7. *&* 8. transcripsit Abbas Sancyranus partem 2. sui libri *de la frequente Communion* (qui prodiit sub nomine Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici) præsertim à cap. 7. dictæ partis usque ad 19. ubi singula ferè Patrum & Canonum loca in sensum pravum, ab eodem Marco Antonio acceptum, detorsit: prout ostensum est per varios libellos, in quibus etiam parallela doctrinæ dictæ partis, & doctrinæ Marci Antonii fuerunt exhibita.

125. Sicuti verò librum istum *de la frequente Communion* approbarunt plures Galliæ Episcopi, à quibus, ut mihi persuadeo, minimè collata sunt, inspectaque in fontibus, vel discussa Patrum vel Canonum loca; sed simpliciter alleganti, vel quibusdam aliis librum illum laudantibus, crediderunt; ita (cum humili respectu), puto minimè fuisse discussos Patres & Canones, ad quos in hac *Declaratione* fit relatio. Itaque ab illis, qui Consilio adfuerunt Illustrissimis Episcopis Lutetiæ Parisiorum congregatis, vel authores aut suasores fuerunt dictæ *Declarationis*, exhiberi rogo Patrum & Canonum sententias, quibus hactenus non sit responsum; vel ut ostendant non fuisse legitimè responsum.

126. Quæro etiam an ita solide refutata sint responsiones Catholicorum, ut posset formari judicium adeò certum, quale formatum fuit in *Declaratione* quâ dictum est *ad omnes Ecclesias Gallicanas atque Episcopos iis Spiritu Sancto authore præsidentes, mittenda decrevimus; ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu & in eadem sententia.*

Ista omnia si facta non sint, verendum est ne præmaturè fuerit judicatum & declaratum.

127. Vereor etiam, ne ultra veritatem aliquid lateat in illis verbis *Spiritu Sancto authore præsidentes.* Scio quidem Actuum 20. v. 28. dictum esse à Paulo, *attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit* *san-*

sanguine suo. Sed etiam scripsit Paulus ad Discipulum suum Titum Cretensem Episcopum; *Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Christo Iesu salvatore nostro. Hujus rei gratia* reliqui te Cretæ, *ut, ea quæ desunt, corrigas., & constituas per civitates presbyteros:* Sicut & ego disposui tui?

Dictum quoque est Proverbiorum 8. v. 14. 15. 16. *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt Iustitiam*; & tamen etiam verum est, quod scripsit Justinianus Institut. lib. 1. tit. 2. §. 6. *Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem, Lege Regia, qua de ejus Imperio lata est, cum Populus ei, & in eum omne Imperium suum & potestatem concedat.*

128. Episcopatuum etiam in Gallia provisio fit à S. Sede ad nominationem Regiam juxta concordata inter Leonem X. Pontificem & Frrancifcum primum Galliæ Regem, relata in dicta sess. XI Concilii Lateranensis. In quibus inter cætera dicitur: " Illarum (Sedium Episcopalium) occurrente vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens unum gravem Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque, seu in altero Jurium Doctorem, aut Licentiatum, in Universitate famosa, cum rigore examinis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & alias idoneum, infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earumdem computandos, nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu Sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem hujusmodi nominata, per nos & Successores nostros, seu Sedem prædictam provideri: & si contingeret, præfatum Regem, personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per nos & Successores seu Sedem ejusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minimè provideri debeat, sed teneatur idem Rex infra tres alios menses à die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, solicitatori nominationem non qualificatam prosequenti, consistorialiter factæ, intimandæ computandos, alium supra dicto modo qualificatum nominare: alioquin ut dispendiosè Ecclesiarum hujusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti, per nos & Successores nostros, seu Sedem hujusmodi de perso-

,, na, ut præfertur, qualificata, nec non Ecclesiis per obitum apud
,, Sedem prædictam vacantibus, semper, nulla dicti Regis præce-
,, dente nominatione, liberè provideri possit.

Per provisionem illam (quam vocamus confirmationem) acquirit Episcopus jurisdictionem, etiam in actu, ante consecrationem: non venit ergo potestas illa ex vi caracteris Episcopalis. Imo plures Principes de Episcopatibus provisi, ordinem illum nunquam susceperunt, & adhuc modo extant fortè tales: quos tamen jurisdictionem Episcopalem non habuisse, vel non habere nullus dixerit.

129. In pluribus quoque Diocesibus, quarum Episcopatus possident Principes, sunt Episcopi suffraganei, nullam habentes Iurisdictionem, aut regimen Ecclesiæ Dei: sed tantum exercent illa, quæ sunt ordinis Episcopalis. Insuper notum est ex certissimis historiis & Canonibus, Sanctam Sedem posse suspendere, interdicere, excommunicare Episcopum: sicque suspensum, interdictum, excommunicatum, teneri abstinere ab iis, quæ comprehendit suspensio, interdictum, excommunicatio. Hæc excludit ab omnibus, quæ sunt ordinis & jurisdictionis. Itaque verendum ne illi, quibus in *Declaratione* dicitur: *Id ipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu & sententia*, sic verba illa *Episcopos iis Spiritu Sancto authore præsidentes*, accipiant, ut credant Episcopos immediate à Christo accipere jurisdionem, sicut acceperunt Apostoli, fluere ex ipsa ordinatione, aut esse ab illa inseparabilem, nec posse eos suspendi, interdici, excommunicari. Hic enim sensus est directè contrarius Canonibus & Patribus.

130. Huc usque breviter perpendi *Declarationis* verba. Quid plenius dicendum sit ad singulas ejus sententias, exponam in parte secunda. In hac autem tantum subjungam sententias Scriptorum Galliæ, eo quod declaratio sit ita concepta, quasi perpetuo fuerit illa Ecclesiæ Gellicanæ Doctrina, quæ ibi exprimitur.

ARTI-

ARTICVLVS X.

Exprimitur Antiquorum Sorbonicorum sensus ex posteriori Doctrina Lovaniensium.

131. INtelligo è nostris quemdam, aut quosdam colligere sententias Doctorum Lovaniensium ex ipsorum impressis libris. Non intendo rem ab illis actam, aut agendam agere. Solum aliqua ex ipsorum Thesibus adjungam, & qualiter ipsos Gallos concernant, breviter expono.

132. Erectâ Universitate Lovaniensi & Facultate Theologica, ad inchoandum studium sunt à Serenissimo Brabantiæ Duce evocati inter alios, Nicolaus de Milly Diœcesis Ambianensis S. Th. Doctor Sorbonicus, & Anthonius de Recaneto, similiter Parisiensis Doctor. Postea subsecuti sunt Henricus de Zomeren & Jacobus Schelwaert pariter Doctores Parisienses.

133. Anno 1431. inchoatum est Basileense Concilium. Quod postea ab Eugenio IV. fuit revocatum per Litteras datas anno 1431. xv. Kalendas Jan. Anno 1432. Basileense Concilium ægerrimè ferens revocationem istam, in sensum suum contorquens Decreta Concilii Constantiensis, de quibus ante dictum, declaravit, *quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, Generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur &c.*

134. Immediate autem ante, ista decreverat: *Quod eadem Sacra Basileensis Synodus, Sacris Constantiensi & Senensi Conciliis Generalibus decernentibus atque ordinantibus, & authoritate apostolica interveniente, fuit & est in hoc loco Basileensi debitè legitimèq; ac rite initiata & congregata. Et ne de ejusdem Sacra Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur, ipsa eadem Synodus duas Declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti sessione, aliis suis decretis editis seu edendis inserendas ordinat & decernit.*

135. "Anno 1435. tertio Idus Octobris comparuit Lovanii R. P.

,, R. P. Abbas Virgilieusis, & intimavit D. Rectori certum man-
,, datum sibi commissum, una cum litteris credentiæ, ex parte
,, Concilii Basil. vi cujus monerentur juberenturque Prælati qui-
,, cumque properare ad idem Concilium, idque sub pœnis mandato
,, contentis. Admonens etiam D. Rectorem, ut hoc ipsum pro-
,, poneret Universitati, eamque induceret, quatenus & illa eò
,, suos destinaret Oratores, nullam tamen pœnam arbitrariam ad-
,, jiciendo. Verum Universitas tunc ex causa suspendit judicium
,, & resolutionem suam. Misusque demum an. CIↃ. CCCC. XXXVII.
,, Basilicam M. Ioannes Flamingi: rogatus fuit, ut apud Conci-
,, lium super præmissis excusaret Vniversitatem".

136. Eodem anno 1435. "Pridie Kalendas Januarii lecta
,, fuit Bulla Eugenii Pont. ad Universitatem Lovaniensem di-
,, recta: quam eadem Universitas cum omni reverentia, obedien-
,, tia & humilitate recepit, gratias agens Sanctissimo D. N. quod
,, ita gratiosè Filiæ suæ Universitati scripsisset; datis tabellario
,, litteris certificatoriis de Bulla Pontificia rectè & fideliter tra-
,, dita.

137. Anno 1448. tertio nonas Julii D. Henricus Caltyser,
" S. Theol. Professor, Magister Palatii Apostolici, nomine & ex
" parte Sanctiss. D. Nicolai Papæ V. exposuit Universitati man-
" data seu placita præfati D. Apostolici circa futuram reforma-
" tionem Universitatis Christianissimi in fide, doctrina, & Catho-
" licis moribus. Universitas autem per Organum Heimerici de
" Campo, tunc Rectoris, egit in primis gratias SS. D. N. Nuncio
" Apostol. quod dignatus fuerit suæ devotæ Filiæ inter mille sol-
" licitudines recordari, & tam celebrem negotiorum promotorem,
" suæque Sanctitatis Oratorem mittere. Deinde declaravit se sus-
,, cipere benevolè doctrinam, quam idem Pater proposuit circa
,, modum intelligendi indulgentias Apostolicas, in forma plena-
" riæ peccatorum remissionis concedi solitas. Declaravit postremò
" quod se semper concorditer habuit, habet, & deinceps inviola-
" biliter habere proponit, circa obedientiam Sedis Apostolicæ,
" respectu dicti D. Nicolai Papæ, ejusque Prædecessoris Euge-
" nii IV. firmitatem, nullâ oppositâ contradicentium sibi alias à
" Concilio Basil. solemniter missorum persuasione averti possibi-
" lem,

"lem, & ita invincibiliter per sua scripta & opportuna dicta, ac "sana dogmata constanter defensam & defendendam". Ista ex Actis Universitatis.

138. Ex quibus tria habemus ad rem præsentem pertinentia. Primò Universitatem, & præcipuè Facultatem Theologicam (à qua pendent aliarum facultatum suffragia in materiis Theologicis) censuisse Concilium Basileensi non fuisse supra Pontificem: ac consequenter Concilii Constantiensis Decreta, antè dicta, non obtinere extra casum schismatis. Secundò, quod universitas censuerit quod legitimè per Eugenium fuerit facta revocatio Concilii Basileensis, & consequenter rectè cassata ejus Decreta post revocationem facta. Tertiò, quod hanc doctrinam hauserit Universitas à Parisiensi & Coloniensi, ad quam etiam duo erant evocati Theologiæ Doctores, qui darent initium Theologicæ Facultati, in qua nulli gradum susceperunt antè annum 1439.

In dicta sententia de authoritate Pontificis subsequentes dictorum quatuor Doctorum Filii eruditionis, perstiterunt; ut constat ex eorum libris, quorum extracta colliguntur. Addo ego alia ex Thesibus; quæ non defenduntur, nisi prius visæ & discussæ à Præside vel facultate: nec admittuntur, si sint communi doctrinæ Facultatis difformes.

139. In illis, quæ sunt de die 17. Julii 1638. Præside Doctore Rampen legitur: *Propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiam est Supremus & Ordinarius Iudex in controversiis fidei & morum judicandis: cujus judicium, una cum Concilio Generali, in definiendis fidei controversiis, certissimum, ac omnino infallibile est; idque non tantum cum Concilio Generali, sed etiam quandocumque aliquid ex Cathedra sub obligatione servandum definit. Iudicium quoque in Decretis morum, quæ toti Ecclesiæ sub præcepto præscribit, planè infallibile est.*

140. In aliis de die 9. Octobris ejusdem anni Præside eodem. *Tanta verò Pontificis hujus ex divina dignatione est authoritas, ut in controversiis fidei & morum determinandis ex Cathedra Iudex sit numeris omnibus absolutus;* licet *œcumenicum Concilium non accedat, quod infra Pontificem esse; non è converso, fidei proximum censemus.*

Antea Guilielmus Tasselon pro doctorali Laurea: *Ejus tamen* (nempe Pontificis) *judicium certum omninò & infallibile est in contro-*

versiis fidei definiendis, non solum cum Concilio, verùm etiam quandocumque ex Cathedra loquitur, & universam Ecclesiam docet.

Eodem anno 1638. Præside Doctore Schenckelio: *Iudicium Romani Pontificis cum Concilio Generali in definendis fidei controversiis, aut quæstionibus morum, omnino infallibile est & certum. Idemque dicendum in quæstionibus fidei determinandis, non tantum cum Concilio Generali, sed etiam quandocumque ex Cathedra loquitur, & Ecclesiam totam docet cum obligatione ad ita credendum & docendum. Iudicium quoque in Decretis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribit omnino est infallibile: sic ut fieri non possit quod lege universali quæ totam Ecclesiam concernat, mandet quidpiam per se malum, aut saluti contrarium, vel prohibeat aliquid quod est ad salutem necessarium. Firmiter etiam tenendum est eum numquam errare in Sanctorum Canonizatione.*

Item Præside Doctore Mercero anno eodem: *Potestatem indicendi Generale Concilium soli Pontifici attribuimus, ideoque ab aliis inferioris Ordinis Ecclesiasticis, Imperatoribus Principibusque sæcularibus removemus. Tanta est Conciliorum authoritas, ut erroneum sit dicere Concilium particulare à Pontifice approbatum posse errare in definienda fide vel moribus; hæreticum autem, idem sentire de Concilio Generali confirmato.*

Anno 1640. Præside Doctore ab Angelis postea nominato Ruremundensi Episcopo: *Iure merito in controversis fidei, ac morum, supremus existit judex, in quibus judicium ejus cum Concilio quidem est prorsus infallibile: quinimo ipsius solius illibata est authoritas, quotiescum ex Cathedra quidquam definit totamque Ecclesiam cum obligatione ad credendum docet.*

Eodem anno Præside eodem: *Romanus Pontifex est supremus Iudex in controversiis fidei, & quæstionibus morum: numquam in aliquo errore deprehenditur cum Concilio Generali: imo definitiones ipsius ex Cathedra loquentis, sine Concilio DD. editæ, sunt infallibilis veritatis. Concilia quantumvis Generalia* absque confirmatione aut approbatione Pontificis, errare *possunt: cum approbatione ipsius non possunt, etiam particularia.*

141. Prætereo brevitatis causa cæterorum annorum Theses conformes: quia tantum ostendere volui qualem doctrinam à Parisiensibus, & Coloniensibus, Universitas Lovaniensis acceperit.

Nolo tamen præterire Jansenium Iprensem: qui etsi à communi Prædecessorum suorum Doctrina, in aliquibus recessit, in hoc

hoc tamen constans permansit usque ad finem vitæ. Sic eni Epil. Operis, cui titulum hunc præfixit, AUGUSTINUS, scripsit, *quid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxta meam, sed juxta D ris mentem pronuntiavi, ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæq; Romanæ Matri judicio, sententiaq; suspendo*, ut illud jam nunc teneam, si tenenc revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si dam dum & anathematizandum esse judicaverit. *Nam quemadmodum Ecclesiæ ac Sedis Mysteriis infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte n imbutus fui, & crevi, & adolevi, & senui, nec ab ea ad latum unguem, sciam, animo, aut facto, aut sermone deflexi; ita porro ad extremum spiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, divinoq; judicio sisti, mihi cons tum est; ut* juxta sacratissimam ejus regulam, quæ à temporibu postolorum per successionem continuam Romanorum Pontifi per universum Orbem prædicata & credita est, *referam à Dei mi cordia aut justitia bonum aut malum.*

ARTICVLVS XI.

Exhibetur Doctrina Scriptorum Galliæ opposita Declarationi.

142. DEclarationis sententiæ sic conceptæ & ordinatæ s quasi illarum doctrina fuerit inconcussa in Gal & intra Patrum terminos comprehensa: ipsos ig Gallos Scriptores adeamus propinquius. Inter i est Divus Thomas Scholæ Parisiensis, & orbis Lumen. Hic 2 qu. 1. art. 10. " Dicendum est, quod nova editio Symboli " cessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo " thoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem p " tinet finaliter determinare eâ, quæ sunt fidei, *ut ab omnibus in " cussâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pon " cis*, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones re " runtur, ut dicitur in decreta lib. de Baptismo c. *Majores*. U

" & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem
" constituit, *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, ut tu ali-*
" *quando conversus confirma fratres tuos.* Et hujus ratio est: quia una
" fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud: ad Corinth. 1.
" *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Quod firmari non
" posset, nisi quæstio de fide exorta determinetur per eum, qui
" toti Ecclesiæ præest: *Ut sic ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter te-*
" *neatur. Et ideo ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio*
" *Symboli, sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam*".

Hæc sententia evertit Articulum secundum, primam partem tertii, Articulum quartum *Declarationis*, & ejus conclusionem: præsertim si jungatur id quod scripsit 2.2. q.11. art. 2. ad 3. ubi dicit:
" Postquam aliqua essent authoritate universalis Ecclesiæ determi-
,, nata; si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus
,, censeretur. Quæ quidem authoritas principaliter residet in
,, Summo Pontifice. Dicitur enim 24. qu. 1. quoties fidei ratio
,, ventilatur, arbitror omnes fratres nostros, & Coëpiscopos non-
,, nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis honorem & authorem re-
,, ferre debere. *Contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec Augusti-*
,, *nus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.* Unde di-
,, cit Hieronymus ad Damasum Papam, hæc est fides, Papa bea-
,, tissime, quàm in Catholica didicimus Ecclesiâ: in qua si minus
,, peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cu-
,, pimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. *Si autem hæc nostra*
,, *confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit,*
,, *se imperitum vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum*
,, *comprobabit*.

Et in 4. Sententiarum distinctione 19. dicit: Licet potestas ordinis æqualiter sit collata Apostolis, tamen potestas jurisdictionis non est data, nisi præsupposita authoritate distributiva Petri; ita quod omnia facerent secundùm ejus ordinationem.

143. Duvallius Parisiensis Doctor & Professor in secundam partem D. Thomæ p. 3. q. 6. *Quin imò absque vela Synodo, vel consultatione Cardinalium Viros doctos in consilium adhibendo potest Pontifex præ suæ potestatis Monarchicæ plenitudine, & errores damnare, & leges ferre, quæ in conscientiâ obligent, simulq; ardua qualibet Ecclesiæ negotia tractare*,

eodem

eodem prorsus modo quo Reges, qui propter Monarchicam suam authoritatem absque Senatu, vel Comitiis, vel Officiariis verè & propriè edicunt.

Idem p. 4. q. 8. *Absque Rom. Pontificis authoritate & consensû nullum Generale Concilium robur habet, ergo ejus authoritas major est, & superior authoritate Concilii. Antecedens facilè probatur ex cap. significasti de elect. ubi scribitur Concilia Generalia recipiunt authoritatem à Papa: & cap. ita Dominus: Ex quo Dominus Iesus Christus munus potestatis Clavium ita ad omnium Apostolorum Ordinem pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua in corpus omne diffunderet.*

144. Albertus Magnus in Schola Parisiensi Magister D. Thomæ & ejusdem Scholæ lumen in cap. 10. Matthei scribit.

Petrus primus dignitate, non vocatione: propter quod vertex dicitur Apostolorum &c. attende quod licet, Petrus Vertex *dicatur* Primus, *non tamen Andreas secundus dicitur, nec Philippus tertius & sic deinceps: sed omnes secundi sunt à Petro, quo ad jurisdictionem · quia non unus sub alio, sed omnes sub Petro.*

Item ad cap. 16. Matthæi. *Dico autem* tibi *singulariter, non quod singulariter acceperit claves Petrus, sed quia in unitate Ordinis Ecclesiæ unus est qui accipit plenitudine potestatis, qui est Successor Petri.*

145. Hugo Victorinus à quingentis & amplius annis Abbas S. Victoris Parisiis Ser. 46. de Apost. Petro & Paulo, ait: "Petrus " cæteris eminet excellentia potestatis: Paulus excellentia prædicationis. Petrus Sol, Paulus Luna: Petrus Sol per collatam " sibi cælitus sapientiam. Luminare majus fecit Deus dum dixit " Petro, Caro & Sanguis Fidei Sacramentum tibi non revelavit, " sed Pater meus qui est in cælis: & illum tunc lucere in cælo præ- " cepit dum illis claves Regni Cælorum contradidit. Luminare " minus fecit, dum *Saulum* stravit & Paulum erexit &c. Petrum " soli comparo, cum Petro soli dictum esse constet: *Tu es Petrus " & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* &c. Petroque soli in- " ter cæteros, & præ cæteris à Domino cura Pastoralis principaliter & specialiter injuncta est, ubi dicit: *Pasce Agnos meos*".

146. Carolus d'Abra de Raconis Doctor Theologiæ, Galliarum Regis Consiliarius, Reginæ Concionator, deindè Episcopus in lib. quem inscripsit *La Primauté, & Souveraineté singuliere de S. Pierre,* edito

edito Parisiis anno 1645. cum Privilegio Regio, totum illud quod in *Declaratione* negatur, de potestate Spirituali Sanctæ Sedis, seu de ejus suprema authoritate, etiam supra Concilia, de ejus infallibilitate in determinandis fidei quæstionibus independenter à Generali Concilio, aut consensu Ecclesiæ, ita confutavit; ut Abbas Sancyranus, & Arnaldus (qui ejus librum *de la frequente communion* adoptavit & suum fecit) nihil penitus replicare potuerint, nec Arnaldi & istius Abbatis Patroni v. g. Montaltius, Wendrochius, aliique Anonymi; nisi futilia quædam, quæ attigi *articulo primo.* Prædicti Episcopi loca non adscribo hic nonnullas sententias, solidè ex Patribus confirmatas, dabo postea.

147. Cardinalis Peronius, qui sub finem præcedentis sæculi & sub initium hujus Galliam illustravit, idipsum præstitit contra Regem Galliæ illusum à Marco Antonio de Dominis: ex quo illi Anonymi, novique Doctores pleraque transcripserunt.

Idem censuerunt Archi-Episcopi & Episcopi Galliæ in Litteris datis ad Innocentium X. 15. Junii 1653. in quibus dicunt.

148. "Excitatæ in Belgio contentiones, flagrabant etiam in ,, Gallia, & latissimum incendium per universas Ecclesiæ partes ,, minabantur, ni pesti grassanti & certissimam perniciem allaturæ ,, obstitisset beatitudinis vestræ indefessum studium, & ex alto pe- ,, tita potestas, *quæ sola acerrimam collisionem compescere* poterat. Age- ,, batur de re magni momenti: de aditu scilicet ad salutem per ,, necessaria Christianæ gratiæ præsidia, & humanæ voluntatis ,, adjumentis illis excitatæ, ac fotæ conatus liberos, atque de Di- ,, vina Christi pietate, ac beneficentia in universum genus huma- ,, num. *Hujus doctrinæ lucem, recentioris illius Auctoris disputationibus ob- ,, scuratam, pristino nitori restituit, juxta veterem fidei regulam, ex Scrip- ,, turis & antiqua Patrum traditione*, in Conciliis olim & nuper Au- ,, ctoribus Summis Pontificibus constituta, prolatum à Sanctitate ,, Vestra, postulantibus compluribus Galliarum Episcopis, decre- ,, tum. Quo in negotio, illud observatione dignum accidit, ut ,, quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem, Innocen- ,, tius I. Pelagianam hæresim damnavit olim: sic ad Gallicano- ,, rum Episcoporum consultationem, *Hæresim ex adverso Pelagianæ ,, oppositam*, *Innocentius X. authoritate sua proscripserit.* Enimverò, *Ve-*

tustæ

„ *justa illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedra Petri communione &*
„ *authoritate fulta,* quæ in Decretali Epistola Innocentii ad Africa-
„ nos data elucebat, quamque dein Zozimi ad universis orbis E-
„ piscopos Epistola subsecuta est, *Pelagianæ hæresis damnationi absque*
„ *cunctatione subscripsit.* Perspectum enim habebat, non solùm Chri-
„ sti Domini nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex actis
„ priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Apollina-
„ rium & Macedonium, nondum ab ulla Synodo œcumenicâ
„ damnatos, à Damaso paulò ante jactis, judicia, *pro sanciendâ re-*
„ *gulâ fidei à Summis Pontificibus lata,* super Episcoporum consulta-
„ tione, (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive o-
„ mittant, prout illis collibuerit) *Divinâ aquè ac summâ per universam*
„ *Ecclesiam authoritate niti: cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque*
„ *mentis obsequium præstare teneantur.* Eâ quoque nos sententiâ ac
„ fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pon-
„ tifice Innocentio X. viget authoritatem, debitâ observantiâ co-
„ lentes, constitutionem Divini Numinis instinctu à B. V. con-
„ ditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenatum Archi-
„ Episcopo Nuncio Apostolico, promulgandam curabimus in
„ Ecclesiis ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud
„ fideles populos urgebimus" &c.

149. Nota, *agebatur de re magni momenti, aditu scilicet ad salutem.* non accesserat consensus Ecclesiæ: *Sed turba per universas Ecclesiæ partes minabantur incendium.* Solum fuit ab Innocentio X. latum judicium ad consultationem Episcoporum Galliæ. Et tamen errores damnatos vocant *hæresim.* Malè hoc, si S. Sedis determinatio in quæstionibus fidei esset reformabilis. Addunt, *Iudicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, Divina æquè ac summa per universam Ecclesiam authoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.* Si divina ac summa authoritate nitantur judicia ejusmodi, non sunt ergo reformabilia. Idem censuerunt annis posterioribus, & ad S. Sedem scripserunt, videlicet anno 1654. 28. Martii. Hortatus fuerat illos Pontifex, ut decretum super quinque Propositionibus exequerentur. Rescripserunt illi.

150. "Ad munus Episcopale pertinere putavimus, recens exci-

cita-

,, citatas à Clericis Gallicanis, numero paucis, contentiones, de-
,, finitione nostrâ compescere: quâ constitutionis Apostolicæ in-
,, tegra executio, quæ nobis commissa est, adversus alienas à vero
,, illius sensu expositiones sanciatur. E vetere fidei deposito, *cujus*
,, *custodia Cathedræ Petri à Christo concredita est*, partem adimere ten-
,, tant; decreti Apostolici majestatem ad fictas controversias diri-
,, mendas turpiter dejiciendo.

151. Perstiterunt Galliæ Archiëpiscopi & Episcopi: cum enim quæstio moveretur *de sensu per Authorem intento* & illi, qui constitutionem Innocentii eludere conabantur, illam dicerent esse facti, non juris quæstionem (quod ab annis 18. refutavi *in quæstione* 15. *super Actibus Apostolorum*) in longa ad Alexandrum VII. die 20. Februarii 1661. dixerunt inter cætera. "Ad eam enim
,, novimus referri debere, ut aiebat Innocentius I. quod per totum
,, mundum possit in omnibus Ecclesiis in commune prodesse........
,, postquam supra montem illum qui est in vertice montium, as-
,, cendisti, ut evangelizares Sion, vox Domini in manu forti.
,, Quippe dedit Deus voci suæ vocem virtutis in tua beatitudine,
,, quæ locuta est sicuti potestatem habens; clamavit, & quasi tuba
,, exaltavit vocem suam, ad retundendos omnes impetus Jansenianæ
,, sectæ". Quid potuisset dici expressius de suprema, & irreformabili sententiæ Apostolicæ in fidei quæstionibus, firmitate.

152. Soliti sunt quidem Episcopi Summorum Pontificum subscribere definitionibus, uti etiam Conciliis: non ideo, quod ad irreformabilitatem ipsorum vel Ecclesiæ assensus requireretur: sed ex illa ipsa ratione, quam expresserunt in dicta Epistola diei 20. Februarii, in qua dicunt: "Fidem explicatam, in illis quinque
" Propositionibus, non à te inventam, sed tibi à Deo creditam,
" cujus exaltatio fuit tua provectio, propriis subscriptionibus fir-
" maverunt; & ab omnibus Episcopis, eorumque mandato ab om-
" nibus Presbyteris, & inferioris gradus Clericis tam exemptis,
" quam non exemptis, firmandam censuerunt. Et hoc ex instituto
" majorum, qui ad vindicandam veram fidem, sanctionibus Sum-
" morum Pontificum & decretis Conciliorum subscribebant. Sic
" Ecclesiæ unius institutionis jura commiscebant, ut pateret ex
" Irenæo Christianos omnes unius esse labii, atque unius oris.

Ita

" Ita contra hæreticos portabant fidem chirographo munitam, " quæ, Joanne dicente *vincit mundum.* Ex illo Ecclesiæ more " Leo II. *sextæ Synodi subscriptionem omnibus Episcopis imperat*, ut secun- " dum ejus Epistolæ verba, omnis Episcopus, cum Dominus ad " judicandum venerit, consortem se Apostolicæ Sedis per suæ ma- " nus signaculum demonstret. Idem quoque Pontifex se omnium " subscriptiones ad Petri confessionem depositurum pollicetur, ut " mediante Petro, Christo ipsi offerantur".

153. Hisce recentibus Archiëpiscopis & Episcopis Galliæ, addam alium, non quidem Episcopali charactere insignitum, sed Doctorem Mellifluum, sanctitate conspicuum Bernardum. Eugenius III. ipsius antea sub regulari obedientia discipulus, ab eodem deinde factus Abbas Summum Pontificatum consecutus est, sed nihil erga illum de paterno antea officio Bernardus remisit. Verum opere insigni, quod *de Consideratione* inscripsit, graviter illum de singulis quæ Christi Vicarium concernerent, admonuit. Ubi vero de Pontificali ejus authoritate locutus est, loquendi modum planè mutavit, & dixit: " Age indagemus adhuc diligentius qui sis, " quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. " Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps E- " piscoporum, tu hæres Apostolorum, tu Primatu Abel, guber- " natu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, digni- " tate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuël, potestate Pe- " trus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves cre- " ditæ sunt. Sunt quidem & alii Cæli janitores, & gregum Pasto- " res, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ " cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, " singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modo " ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id pro- " bem quæras? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episco- " porum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ " commissæ sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? " *Oves*, inquit, *meas.* Cui non planum non designasse aliquas, sed " assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et " forrè præsentes cæteri Condiscipuli erant, cum committens uni " unitatem omnibus commendaret, in uno grege, ut uno Pastore,

" secundùm illud: *Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Ubi
" unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non ha-
" bent, *Sed divisionem, recedentes ab unitate:* inde est quod alii singuli
" singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Ja-
" cobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Hie-
" rosolyma, Petro universitatem cedens. Cedente Domini fratre,
" quis se alter ingerat Petri prærogativæ? Ergo juxta Canones
" tuos alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis
" vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua ex-
" tenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Non-
" ne si causa exstiterit, *Tu Episcopo cælum claudere, tu ipsum ab Epis-
" copatu deponere, etiam & tradere satanæ potes?* Stat ergo inconcussum
" privilegium tuum tibi, tam in datis clavibus, quam in ovibus
" commendatis".

154. Per ista confixæ sunt pleræque partes *Declarationis:* videlicet Artic. 2. prima pars tertii quatenus ex secundo infertur, articulus 4. & conclusio. Sed forsan illi qui Illustrissimis Episcopis hodiernis fuere à Consiliis, & comprehensam in *Declaratione* doctrinam instillarunt, contemnent jam dicta, quasi alius fuerit aliorum sensus, & traditio; quæ non debeat subverti per aliorum hinc indè contrariam opinionem. Eamus ergo altiùs & à primis Ecclesiæ Christianæ sæculis ad nostra usque tempore, ex ipsis Gallis, Galliæ sensum investigemus.

155. Ad Episcopos Galliæ varia Decreta super illis, quæ deberent credi, & generaliter in Ecclesia observari; miserant ab initio nascentis Ecclesiæ varii Romanæ Cathedra Pontifices, videlicet Clemens I. *Epist.* 3. Anacletus *Epist.* 1. & 2. Telesphorus *Epist. ad omnes fideles* Hyginius *Epist.* 1. Pius I. *Epist.* 1. Anicetus *Epist. ad Episcopos Galliæ*, Eleutherius *Epist. ad Provincias Galliæ*, Calixtus I. *Epist. ad Episcopos Galliæ*, Urbanus I. *Epist. ad omnes fideles*, Pontianus *Epist. ad omnes fideles*, Cornelius *Epist.* 1. Stephanus *Epist.* 2. Felix I. *ad Episcopos Galliæ*, Liberius *Epist. ad omnes Episcopos*, Siricius *Epist. ad universos Orthodoxos*, Innocentius I. *Epist. ad Episcopum Rothomagensem* Zozimus *Epist.* 5. quæ est *ad Episcopos Galliæ*, 6. *ad Episcopos Galliæ, Africæ & Hispaniæ*, item *ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis:* Deindè *ad Episcopum Arelatensem*, postea *ad Massilienses*, Bo-
nifa-

nifacius I. *Epist. ad Episcopum Narbonensem*, Cælestinus I. *Epist. 1. ad Episcopos Galliæ*, item *Epist. 2. ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis*.

156. Hæc acta sunt quatuor primis Ecclesiæ Christianæ sæculis & sub initium quinti: Acta (inquam) à Pontificibus, qui pro fide, quam asserebant, Martyrium subierunt; alii autem, vitæ Sanctitate floruerunt. Quid verò de illa authoritate, quàm sibi divinitus datam asserebant illi, censuerint Galli, modò videamus.

157. Sæculo 5. scripsisse invenio sequentes. S. Prosperum Aquitanicum: quem fuisse Sanctissimum, & Doctissimum Augustini Discipulum, testantur omnes. Quid ille de Sanctæ Sedis definitionibus senserit visum est supra numero 120. cujus ibi dicta hic pro repetitis habeo.

Eodem sæculo vixerunt Geretius Salonius & Verannius Galliæ Episcopi, & ad Leonem scripserunt: "Domine Sancte Pater, Apo-„ stolica Sede dignissime Papa, magna tui gratulatione succresci-„ mus, quod illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium „ Ecclesiarum Conventicula celebratur, ut verè consona omnium " sententia declaretur, *meritò illic Principatum Sedis Apostolicæ constitutum, undè adhuc Apostolici spiritus oracula referentur.*

"Eodem sæculo vixit Eucherius Lugdunensis. Hic *Sermone in „ vigilia S. Petri:* ait, Christus dicit ei, *pasce oves meas.* Prius *agnos*, „ deinde *oves* commisit ei: quia non solum Pastorem, sed Pastorum „ Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & „ oves: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos & Præla-„ tos. Omnium igitur Pastor est, quia præter *agnos & oves* in Ecclesia nihil est".

158. Sæculo 6. vixit Avitus Viennensis Episcopus, hic ad Hormisdam, qui Romanam Cathedram adeptus est anno 514. ita scripsit: "Quæsumus ergo servitio meo juncto, ut quid filiis vestris fra-"tribus meis, id est Gallicanis, si consulant, respondere debeam in-"struatis. Quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius "Galliæ devotione polliceor, *omnes vestram super statu fidei captare sen-"tentiam*, orato ut sic nos prædictorum ptofessio fucata non fallat, "sicut *ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat.* Accepta 3. Ka-

„lendas Februarii, Agapito Viro Clarissimo Consule, per Alexium „Presbyterum & venantium Diaconum".

159. Ecce quid Galli censuerunt de Sanctæ Sedis definitionibus, nempe satis esse quod Sancta Sedes articulum declaraverit: ut sine ulteriori inquisitione, aut judicii suspensione, vel expectatione assensus aliorum, pro fidei dogmate habeatur id, quod illa censuerit esse tale.

160. Eodem sæculo seu anno 529. habitum est in Gallia Concilium Arausicanum, in cujus principio ita legitur: "Pervenit ad „nos esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio per simplicita- „tem minus cautè, & non secundùm Fidei Catholicæ regulam, „sentire velint. Undè id nobis, secundùm admonitionem & au- „ctoritatem Sedis Apostolicæ, justum ac rationabile visum est, ut „pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab An- „tiquis Patribus de Sanctorum Scripturarum voluminibus in hac „præcipuè causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quàm „oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus „nostris *subscribere deberemus*. Quibus lectis, qui hucusque non si- „cut oportebat de gratia & libero arbitrio credidit, ***ad ea quæ Fidei Catholicæ conveniunt***, animum suum inclinare non differat".

Pauca illa Capitula sunt numero 25. non discusserunt Episcopi tredecim (qui tunc in illa Civitate erant & mandatis Apostolicis seu definitionibus subscripserunt) omnes Patres & eorum sensa, ut conformitatem cum Fide Catholica cognoscerent, antequam præberent assensum: convenerant enim alia penitus de causa, quam expresserunt in præmio his verbis, "cum ad dedicationem Basili- „cæ, quam Illustrissimus Præfectus Patricius in Arausica Civi- „tate fidelissima devotione construxit, Deo prospiciente & ipso „invitante convenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam re- „gulam pertinent, inter nos fuisset oborta collatio; pervenit ad nos esse aliquos" &c. Sed fuit ipsis satis quod ita Sedes Apostolica decrevisset.

161. Sæculo 7. vixit Julianus Pomerius in Gallia Doctor Ecclesiasticus, qui contra Judæos lib. 3. scripsit: " Sic Petrus ipse, „Discipulorum omnium primus, nullus calculationum obicibus „prædicationem suam obnoxiam cernens, &c. plura addit de Ro- „manæ Sedis auctoritate.

Etsi

Etsi verò pauciores istius sæculi authores Gallos reperiam quia maximè per Hunnos & Barbaros turbata est Gallia & totum Austrasiæ Regnum, tamen illos à prædecessorum suorum sententia defecisse, minimè credi potest, præsertim cum sæculo 6. tendente ad finem, Concil. Turonense II. (in quo præter Turonensis Ecclesiæ Episcopum, interfuerunt præcipuarum Galliæ Civitatum Episcopi nempe Parisiensis, Namnetensis, Carnotensis, Andegavensis, Rhedonensis, Cenomasensis, Sagensis, Rothomagensis) qui Canone XXI. ita decreverunt.

"Et quia in sententia Papæ Innocentii ad Victricium Rhotomagensem lata legitur scriptum.... quis Sacerdotum contra talia Decreta quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat"?

162. Sæculo 8. Sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntiæ (quæ civitas tunc erat sub Regno Austrasiæ) ad Zachariam Papam ita scripsit. " Necesse quoque habemus indicare Paternitati „ vestræ, quia per Dei gratiam Germaniæ Populis aliquantulum „ percussis & correctis, tres ordinavimus Episcopos, & Provinciam in tres Parochias decrevimus & illa tria Oppida sive urbes, „ in quibus constituti & ordinati sunt, scriptis aucthoritatis vestræ confirmari & stabiliri precantes desideramus. Unam esse „ Sedem Episcopatus decrevimus in Castello quod dicitur Wirtzburg; & alteram in Oppido quod nominatur Buraburg; tertiam „ in loco qui dicitur Erphesfurt, qui fuit jam olim urbs paganorum rusticorum. Hæc tria loca propria auctoritate & charta Apostolatus vestri roborari & confirmari diligenter postulamus; „ ut si dominus voluerit, per authoritatem & præceptum S. Petri „ jussionibus Apostolicis fundatæ, & stabilitæ sint tres in Germania Episcopales Sedes; *Et ut præsentes & futuræ generationes non præsumant vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Sedis Apostolicæ.*

163. Hinc habemus quomodo Sedes Episcopales authoritate Apostolica institui debeant, & assignari jurisdictio in locis in quibus antea non fuerunt. Qualium locorum Episcopi nullatenus possunt dici Apostolorum Successores, sicuti nec qui per Gallias instituti sunt à Petro, vel ejus Successoribus. Hoc breviter dicendum volui occasione clausulæ ultimæ *Declarationis, Spiritu Sancto auctore præsidentes.*

Idem Bonifacius ad eundem Zachariam in alia Epistola scribit: *præcepit quoque mihi præfatus Apostolicus Pontifex, ut Populorum quoscumque visitassem, mores Apostolicæ Sedis Pontifici indicarem; quod me fecisse confido.* Nota *præcepit.*

Eodem sæculo vixit Alcuinus Magister Caroli Magni. Ille de Divinis Officiis agens, Ita scripsit: *Religionis cultum sic Dominus instituit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare.*

164. Ipse Carolus Magnus inter suas leges hanc olim inseruit: *in memoriam B. Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem; ut quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis.*

Hanc legem retulit inter suos Canones Concilium Triburiense cap. 30. erat autem Triburia Villa Regia consistens in terra Francorum: Ita Synodi istius Episcopi in præfatione. In qua etiam ita loquuntur Archiepiscopi & Episcopi, qui interfuerunt numero viginti-duo: " Cum constet omnibus, divinam legem tractantibus, post evangelia & limpidissima novi testamenti fluenta, Beatorum Apostolorum & Sanctorum Patrum apud Nicæam congregatorum constitutis, nec non & Apostolicorum Romanæ Sedis Pontificum decretis, satis occurrisse restitisse, & oppugnasse, sive Hæreticis, sive Schismaticis, & omnibus verè fidei oppugnantibus regulas, &c.

165. *Si satis Romani Pontifices* per sua decreta occurrerunt Hæreticis, non debuit ergo ulterius de veritate illorum disputari & inquiri, ut obtineretur Ecclesiæ assensus. Si hoc *constabat omnibus*, fuit ergo indubita hæc apud Francos Doctrina. quod verò *constiterit* probant viginti-duo testes omni exceptione majores, ex dissitis omnino locis congregati, & rerum, quæ in suis Diœcesibus aliisque vicinis in Gallia agebantur & docebantur, minime ignari.

166. In sæculo Nono plures invenio Scriptores Gallos. Inter quos est Jonas Aurelianensis. Hic de cultu imaginum lib. 3. scribit. ' Quid enim si, ut supra dictum est, claves Regni Cælorum, quasi eminentissimo Sanctæ Ecclesiæ Membro intelligo traditas, beato videlicet Petro ut per illum ad cæteros hæc dignitas transeat: num idcirco mens mea ab ea amore tepescet, quem

pluris

„ pluris videam à Domino honorari, potior namque in ejus devo-
„ tionis amoris coalescet ignis, ut quod omnium est commune,
„ ipse quodammodo accepisse videatur singularis.

167. Eodem sæculo vixit Rabanus Maurus Vir doctissimus, sic vero habet ad caput 17. Matthei: " Hæc ligandi atque solven-
„ di potestas quamvis soli Petro data videatur à Domino: tamen
„ & cæteris Apostolis datur, nec non etiam nunc Episcopis &
„ Presbyteris Ecclesiæ; sed ideo Petrus specialiter claves Regni
„ Cælorum, & Principatum judiciariæ potestatis accepit, ut om-
„ nes per orbem credentes intelligant quod quicumque ab unitate
„ fidei, vel societatis illius quolibet modo seipsos segregant, ta-
„ les nec vinculis peccatorum absolvi: nec januam posse ingredi
„ Regni Cælestis.

168. Landrinus Turonensis etiam *in Epist. ad Nomenium Priorem Gentis Britannica*, ait: "Hæc ad tuam perditionem sufficiebant, sed
„ ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti
„ Christianitatem, dum Vicarium Beati Petri Leonem Apostoli-
„ cum, cui dedit Deus primatum in orbe terrarum, sprevisti. Maxi-
„ mum reatum te contraxisse scimus, quod Epistolam Sedis Apo-
„ stolicæ respuisti".

169. Eodem sæculo Adventius Metensis Episcopus, cum circa causam Lotharii excessisset, ac propterea à Nicolao I. Pontifice debitam correptionis sententiam pateretur, conabatur quidem excusare factum, ut constat ex ejus Epistola relata in Appendice Epistolarum Nicolai Papæ I. Tamen nec ipse, nec Carolus Calvus Franciæ Rex prætenderunt Episcopum non posse à Sancta Sede corripi, nec ita *Spiritu S. authore præsidere, ut jurisdictio ejus non dependeat ab eadem Sede*, sed ipsemet Rex intercedit pro ipso multis rationibus, & inter cætera ad eundem Nicolaum ita scribit.

"Unde quoniam Venerandus & Amantissimus Patruus noster
„ Drogo, qui licet in Regno Fratris nostri Hlotarii quondam Im-
„ peratoris, post obitum Domini & Patris nostri degisset, eò quod
„ Sedes in partem Regni ipsius devenerat, nobis tamen unice dul-
„ cissima dilectione, & obnixa fidelitate conjunctissimus fuit, cum-
„ dem Venerabilem Adventium nutrivit, & domestica familiari-
„ tate habuit: & ipse Adventius nobis fidelis & amicus existit;

,, ac vestigia Sanctissimæ Paternitatis vestræ deosculantes, cum ,, omni devotione deposcimus, ut nostra petitione, sicut credit, ,, apud auctoritatem vestram se sentiat adjuvari, ne ipse, & Sedes ,, ejus in ilio, modo quolibet, quod absit, dehonoretur: quæ po- ,, stulatione Avi nostri Divæ memoriæ Caroli Imperatoris hono- ,, rari ab Apostolica Sede meruit, ut Engilramnus Prædecessor ,, istius, Summus Capellanus ejus, & Apocrisiarius Apostolicæ Se- ,, dis in istis regionibus aliquamdiu fieret: & postea deprecatione ,, Sanctæ recordationis Pii Augusti Domni & genitoris nostri ex- ,, cellenti genio à Sede Apostolica in præfato Patruo nostro Dro- ,, gone Venerando Episcopo fuerat honorata; ut una cum præ- ,, dicto ministerio & Imperatoris & Apostolicæ Sedis, etiam usu ,, Pallii potiretur. Nam etsi hic Vir Venerabilis Adventius, aut ,, Principis sui, aut Magistrorum superstitione actus, aut favore ,, ac consensu plurimorum attractus, vel alio quolibet modo sub- ,, reptus, vel interceptus, in aliquo minus quam debuerat providus ,, extitit: quoniam ut Augustinus dicit, amat Deus confitentibus ,, parcere, & eos qui semetipsos judicant, non judicare; cessatque ,, divina vindicta, si conversio præcurrat humana: vestri Aposto- ,, latus mitissima & præstabilis cunctis conversis benignitas, in ,, eo sententiam Prædecessoris sui Leonis sequetur, qua dicit: *Se- ,, dis Apostolicæ moderatio hanc temperantiam servat, ut & severius agat ,, cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis,* quatenus venia con- cedatur, si error aboletur.

170. Plenæ sunt exemplis hujusmodi Historiæ, quibus Apo- stolica jurisdictio in Episcopos evidentissimè demonstratur. Plu- ribus allegandis supersedeo: quia rem illam plenè confecit Exi- mius Pater Lupus *in Tractatu de Appellationibus*: cui solùm hoc addo plurima in Libris quinque Decretalium extare exempla, per quæ liquido constat ipsos Galliæ Episcopos diversissimas à Sancta Sede vel ejus delegatis subiisse sententias & pœnas. Imo verò ex ipsis- met Canonibus constat ipsos Gallos Episcopos, Capitula, & perso- nas privatas, pro administratione justitiæ ab inferiorum Sententiis, aut factis recurrisse ad S. Sedem: minores causas commissas esse ju- dici vel judicibus delegatis in partibus prout in Belgio factum est & adhuc fit, majores verò & graviores ip sius Sanctæ Sedis judicio terminatas.

171. Quod attinet ad sæculum decimum, paulò ante vidimus ex Concilio Triburiensi, quod isto Sæculo celebratum est, senserint Episcopi viginti duo. Optarem etiam, ut, qui illustrissimis Galliæ Episcopis adstiterunt Consiliis in illa congregatione Parisiensi, reflecterent ad câ, quæ hoc Sæculo decimo acta sunt in terris Gallicanis per Concilia Cabilonense, Trosleianum anni 921. & alterum anni 927. per Rhemense incerti loci & alterum Rhemense celebratum anno 995.

172. Quoad Sæculum undecimum sufficere debet testimonium & factum Prælatorum quinquaginta, in Rhemensi Concilio, quod habitum fuit anno 1049. Inter quos erant Rhemensis, Lugdinensis & Vesontinus Archi-Episcopi. In hoc sic legitur." quibus „ ita residentibus imperato silentio ex præcepto Domini Papæ, „ surrexit Petrus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, expedito „ sermone proponens de quibus in eadem Synodo sermo esset habendus, de multis videlicet illicitis, quæ contra Canonum instituta in Gallicis finibus exercebantur, id est de simoniaca hæresi de ministeriis Ecclesiasticis, & altaribus, quæ à Laicis tenebantur, de pravis consuetudinibus, super iis quæ ab eis in atriis „ Ecclesiarum accipiebantur, de incestis conjugiis, & eis qui legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur; de Monachis & Clericis, à Sancto Proposito & habitu „ recedentibus: Item de Clericis mundiali militiæ studentibus; „ de rapinis, pauperumque injustis captionibus, de Sodomitico „ vitio, & quibusdam hæresibus, quæ in eisdem pullulaverant „ partibus.

Paulò post sequitur " petentibus eis, qui Sanctæ Religionis „ amatores ibi aderant, plurima Sanctorum Patrum decreta, quæ „ jam per incuriam pro nihilo habebantur, *præcepto suæ* auctoritatis renovavit, & multa quæ in Gallicana Ecclesia exercebantur illicita, ne fierent ulterius, sub anathemate prohibuit" videlicet" &c. Plures deinde sequuntur Canones & Decreta observanda sub pœna excommunicationic, tam in sæculares quam Ecclesiasticos latæ.

173. Sub finem ejusdem sæculi scripsit Ivo Carnotensis ad Paschalem pontificem: " Sicut Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater est & Magistra: Sic etiam decet filiorum injurias

„ propulsare & contemptorum inobedientiam vindicare, ut & filius fuisse se subditum gaudeat, & contemptores inobedientes „ se fuisse pœniteat. & *Epi.* 183. Quoniam judicia Romanæ Eccle„ siæ, à nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia do„ cente didicimus: si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ „ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non des„ cendant in ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam con„ fugiant, & inde expetant levamen unde se conqueruntur acce„ pisse gravamen: quia quæ aliquando corripit paterna severita„ te, eadem frequenter colligit materna pietate.

174. Initio Sæculi duodecimi vixit Hugo Victorinus Abbas Monasterii S. Victoris Parisiis. Hic lib. 1. eruditionis Theologicæ de Sacramentis Ecclesiæ cap. 43. "Papa dicitur quia Pater „ Patrum. Hinc universalis dicitur quia universæ Ecclesiæ præ„ est: hic quoqne Apostolicus vocatur, quia Principis Apostolo„ rum vice fungitur: hic etiam summus Pontifex nuncupatur, quia „ Caput est omnium Episcoporum.

175. Hugoni ferè coëtaneus fuit S. Bernardus, cujus sententiam ex libro de consideratione ad Eugenium tertium exhibui supra numero 153. hic addo ex Epistolis quædam. Epistola 131. "plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari „ prærogativa Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic pote„ state resistit, Dei ordinationi resistit. Potest si utile judicave„ rit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt: „ potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout „ ratio sibi dictaverit; ita ut de Episcopis creare Archi-Episcopos „ liceat & è controverso, si necesse visum fuerit.

Item Epistola 190. ad Innonentium Papam "oportet ad ve„ strum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emer„ gentia in Regno Dei, eà præsertim, quæ de Fide contingunt. „ Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna *Fidei*, „ *ubi non possit Fdes sentire defectum.* hæc quippe hujus prærogativa „ Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: *Ego pro te rogavi* „ *Petre, ut non deficiat Fides tua.* Ergo quod sequitur, à Petri Suc„ cessore exigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Id „ quidem modo necessarium. Tempus est, ut vestrum agnoscatis, „ Pater amantissime, principatum, probetis Zelum, ministerium

ho-

„ honoretis. In eò plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & „ Sedem; si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.

176. Plurimi alii in Gallia scripserunt similia hoc Sæculo: inter quos Petrus Lombardus, Petrus Cluniacensis *lib. 6. Epist.* ad Eugenium Petrus Blesensis *Epist.* ad Romanum Pontificem, Arnulphus Lexoviensis *Epist.* ad Alexandrum, aliique.

Sæculum decimum tertium non fuit minus ferax Gallorum Scriptorum & Doctorum idem sentientium. Inter quos Vincentius Burgundus postea Bellovacensis Episcopus in *speculo* quod sumptibus Philippi Valesii Gallorum Regis adjutus confecit, scripsit: *Sancta Romana Ecclesia nullis Synodicis institutis cæteris Ecclesiis prælata; sed Evangelica voce Domini & salvatoris nostri primatum obtinens, dicentis* tu es Petrus *& super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.*

177. Albertus Magnus, qui pluribus annis docuit Parisiis, ita „ habet ad caput 16. Matthæi: *Dico autem tibi.* Singulariter: non „ quod petrus singulariter acceperit claves, sed quia in unitate „ ordinis Ecclesiæ unus est, qui accipit in plenitudine potestatis, „ qui est Successor Petri, & petrus in potestate: alii autem in eadem unitate accipiunt partem potestatis, eo quod vocantur in „ partem solicitudinis.

178. De Divo Thoma, qui pariter Parisiis docuit, dixi antea: adjungo tamen aliam ejus sententiam *lib. 1. contra errores Grecorum cap. 32.* " Habetur ex Græcorum Doctorum authoritatibus quod „ Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis: „ dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, *in lib. Thesaurorum*, sicut „ Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israël „ egrediens super omnem principatum & potestatem, super om- „ ne quodcumque est, ut ei cuncta curventur: & sic Petro & ejus „ Successoribus plenissimam potestatem plenissime commisit, ut „ etiam nulli alii, quam Petro, Christus quod suum est plenum „ ipsi soli dedit &c. Hoc etiam traditur auctoritate Scripturæ. „ Nam Dominus Matthei 16. universaliter Petro dixit. Quod- „ cumque solveris super terram &c. ostenditur etiam, quod Pe- „ trus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri Successor „ in eadem potestate ei à Christo collata.

179. Eodem Sæculo vixit Guilielmus Tornacensis. Ecce quid

ait: *de officio Episcopi cap.* 35. "sola Romana Ecclesia, cujus fides
,, in nulla tentatione deficit, utpote supra Petram stabilem solida-
,, ta, *nullis hæresibus, nullis erroribus potest vel potuit, vel poterit inquinari.*
,, Licet enim prora vacillet in mari, licet carina elidatur fluctibus:
,, puppis tamen permanebit immobilis, &c.

180. Vixit & Henricus à Gandavo in Parisiensi Accademia *Doctor solemnis* appellatus, pluribus scriptis notus. Hic *Quotlibeto* 23. ait" in Ecclesia militante sub Deo Christus (secundum quod homo) caput est & Monarcha. Hierarcha primus post Chri-
,, stum Petrus erat, cui ambas claves tradidit, & duos gladios com-
,, misit. Unde Papa habet utrumque gladium spiritualem & tem-
,, poralem, in auctoritate quadam prima & superiore.

181. Addam S. Bonaventuram, qui Concilio Lugdunensi in Gallia præsedit, & parte 6. Breviloquii sic scripsit: "quia excel-
,, lentia quanto magis ascendit, tanto magis unitur: Hinc est,,
,, quod plures sint Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissi-
,, mi Patriarchæ & unus Pater Patrum, qui Papa meritò appella-
,, tur, tamquam unus primus & summus Pater Spiritualis omnium
,, Patrum, imo omnium Fidelium, & Hierarchia præcipuus, spon-
,, sus unicus, Caput indivisum Pontifex summus, Christi Vica-
,, rius, *fons & origo. & regula cunctorum Principatuum* Ecclesiasticorum,,
,, à quo tanquam à summo derivatur ordinata potestas, usque ad
,, infima Ecclesiæ Membra, secundùm quod exigit præcellens dig-
,, nitas Ecclesiæ in Ecclesiastica Hierarchia.

182. Plures alii sunt ejusdem Sæculi Scriptores vel natione Galli, vel qui Parisiis Theologicam didicerunt, quorum sententias ad longum referre esset lectori tædiosum. Transeo ad Sæculum decimum quartum. In hoc primus mihi occurrit Augustinus Triumphus Ordinis S. Augustini, qui natus anno 1243. vel circiter, vitam perduxit usque ad annum ætatis 85. quo non sine magna Sanctitatis opinione obiit. Hic per actis Lutetiæ Theologiæ studiis, iisque junctâ jurisprudentiæ scientiâ, eam doctrinæ perfectionem adeptus est, ut non tantum Theologis, sed etiam juris consultis Turrecrematæ, Felino, Decio, Navarro, Covarruviæ in maxima fuerit existimatione: scripsit vero.

183. In proœmio libri de potestate Ecclesiastica, "error est per-
,, tinaci mente non credere Romanum Pontificem universalis Ec-

„ clesiæ Pastorem, Petri Successorem, & Christi legitimum Vi-
„ carium supra spiritualia & temporalia universalem non habere
„ primatum.

Quæst. 6. artic. 1. "solus Papa dicitur esse Vicarius Dei, quia
„ solum quod ligatur, vel solvitur per eum, habetur solutum &
„ ligatum per ipsum Deum. Sententia igitur Papæ, & sententia
„ Dei una sententia est: sicut una sententia est Papæ, & audito-
„ ris ejus.

184. Accedit Petrus de Palude Burgundus, deindè Patriarcha: cujus in 4. *sententiarum distinct.* 24. hæc sunt verba: *Potestas jurisdictionis, quæ ad regendum Populum, tota in suo fonte data fuit soli Petro & in eo Successoribus ejus, quando cura Ecclesiæ sibi soli commissa fuit, dicente Domino Iannis* 21. Pasce oves meas. *Hoc nulli aliorum dictum fuit, nec nunc, nec ante, nec post. Ergo talem potestatem plenam ac perfectam habet solus Successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater Patrum.*

185. Sæculo decimoquinto scripsit Thomas Waldensis natione quidem Anglus, sed qui floruit Rothomagi in Gallia. Hic *lib.* 2. *doctrinalis fidei artic.* 3. Sic habet: *Cur contra Romanum Primatum insurgis? cur sic irasceris, audiens, quod Episcopus Romana Ecclesiæ præmineat capitaliter super omnes alios Episcopos? Sanctissimi Christi Pontifices hunc Primatum in universa Ecclesia confessi sunt. B. Augustinus Episcopus fuit, & huic Primatui non invidit, sed eum humillimè recognovit.*

186. Plures Gallos ex hoc sæculo referrem, nisi unus esset pro omnibus Ludovicus XI. Franciæ Rex, qui ad Pium ita scripsit: *Beatissimo Patri nostro Pio Papæ II. obedientiam Filialem.* "Te Vicarium
„ Dei viventis ea veneratione prosequimur, ut Sacra, præsertim
„ in Ecclesiasticis rebus, tua monita velut vocem Pastoris audire,
„ illisque parêre prompta mente velimus. Te Principem totius
„ Ecclesiæ Antistitem Sacrorum, Te Dominici Gregis Pastorem
„ profitemur, & scimus, Teque jubentem sequimur, Tibi & Bea-
„ tissimi Petri Cathedræ consentimus. Itaque sicut mandasti,
„ Pragmaticam Sanctionem (Tuæ Sedi infensam, utpote quæ
„ schismatis tempore, atque per seditionem mota sit) à Regno
„ nostro, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, dejicimus, stirpitusque abrogamus".
De hac abrogatione expressa fit mentio in Lateranensi Concilio sub Leone X. Sess. 11. cujus verba supra retulimus.

187. Initio sæculi decimisexti Floruit Ioannes de Selva, paulò post primus Præses Parlamenti Parisiensis, & anno 1526. Francisci I. Galliarum Regis pro pace cum Augustissimo Cæsare Carolo V. Madritum legatus. Hic in tractatu *de beneficio parte 1. qu.4. prope finem.* Ait, "*Papatus est de jure Divino, non de jure positivo, nam*
,, *primò Christus ante mortem suam promisit Petro Apostolatum & potesta-*
,, *tem Clavium, dum interrogavit discipulos, quem dicunt homines* &c. *&*
,, *tunc dixit*, ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram
,, ædificabo Ecclesiam meam, & dabo tibi claves Regni Cælorum,
,, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis.
,, *Per hoc tamen non dedit potestatem, nec fecit eum Principem, sed promi-*
,, *sit, ut patet per illa verba*, Et tibi dabo &c. *Sed Christus fecit eum Principem post Resurrectionem.* Quod cum pluribus probasset Canonibus subjungit", *sed Petro postmodum dicit* pasce oves meas *& constituit eum Principem aliorum.* Si igitur penes Episcopos, *Spiritu S. auctore præsidentes*, ut dicit *Declaratio*, sit jurisdictio certis casibus in Laicos, in eosdem habet jurisdictionem Romanus Pontifex, ad quem uti ad Principem ab Episcopis datur appellatio, & causa judicibus delegatis in partibus committitur, aut si sit ex majoribus, reique gravitas postulet, etiam apud S. Sedem discutitur.

188. Eodem sæculo Boetius Epo Vir Doctissimus, in Opusculis *de Hierarchia Ecclesiastica*, & alio *de provocatione ad Concilium*, plerasque partes dictæ *Declarationis* enecat. "Egrediamur, inquit *in Opus-*
,, *culo de Hierarchia*, domum familiamque singulorum: respiciamus
,, ad civitates, respiciamus ad respublicas universas, respiciamus
,, ad Regna & Imperia, respiciamus ad terrarum orbem univer-
,, sum. Videbimus ut omnia turbentur, ut omnia misceantur, ut
,, omnia corruant & collabantur, nisi moderator aliquis prudens
,, isque præ cæteris unus imperio cuncta moderetur. Non in Reg-
,, nis & Imperiis vel Monarchia tantum, verumetiam in Republi-
,, cis liberis. Nam & hæ sibi deligunt propter vigentes necessita-
,, tes ducem, cui totus pareat exercitus, ut Romani dictatorem
,, dum Respublica floreret, ut Veneti Ducem, ut alii populi quem-
,, piam alium. Non ego proferam illud Homeri Iliad. 2. &c. non il-
,, lud nostri, *omnisque potestas impatiens consortis erit.* Non illud à
,, multis copiosè disputatum Monarchiam reliquis esse Rerum-
,, publicarum formis præferendam. Natura nos ipsa docere po-

test

„ test per apes, per grues, per aliquot alia fortassis animantia du-
„ cem plerumque sequentia unicum. Et in Ecclesia regenda, quæ
„ jam à priscis temporibus, à condita mundi machina, quæ ab æ-
„ terno Dei consilio ædificatur ut civitas, Rectorem esse nullum
„ aliquem supremum à Deo constitutum dicemus? absit profa-
„ num somnium, absit Babylon horribilis, abominabilis, execra-
„ bilis. Non aliud magis unquam votum concepit malus Genius,
„ quam ut Anarchia semel constituta, posset impunè in hominum
„ cerebro quælibet imprimere phantasmata, quæ pro idolis co-
„ lantur & adorentur, quæ propria & genuina est hæreseos descri-
„ ptio. Quid enim aliud est hæresis quàm opinionis privatæ,
„ tamquam idoli cujusdam cultus, totius Ecclesiæ summique Pa-
„ storis ac universalis in ea Rectoris judicio superbissimè contem-
„ pto? cum Christus Ecclesiæ suæ Caput ad Patrem reversurus *Pa-*
„ *storem* se dicat esse *bonum*, non volet nos hic in terris relinquere
„ orphanos, absque Pastore aliquo, absque Rectore ullo, absque
„ Gubernatore quopiam generali & universali, quem coram cor-
" poreis etiam oculis intueamur, quem de dubiis consulamus, quem
" Rectorem, quem Pastorem sentiamus, quem Caput habeamus à
" Christo secundum, ab hominibus & inter homines primum.
" Quod nisi sic esset, nisi foret aliquis unus, qui Ecclesiastica jura
" conderet, qui Canones præscriberet, qui de religionis capituli-
" bus dissentientes vel Episcopos vel alios in concordiam revocaret
" atque cogeret; necessariò sequeretur, ut de religione fideque
" tot essent sententiæ, quot non solum Provinciæ vel Episcopatus,
" vel Urbes, vel Pagi; verumetiam quot penè familiæ, ne dicam
" quot Capita. Quemadmodum nunc iis accidere videmus, qui
nullum Caput Ecclesiæ in terris aspectabile dignantur agnoscere".

189. In Opusculo *de provocatione à Pontifice ad Concilium*, ait: "nos & firmissima, & securissima quæque Virorum summè Catho-
" licorum vexilla secuti & incunctanter, & constanter affirma-
" mus, nullam ad ulla Concilia quantumlibet Generalia jure vel
" divino vel humano esse provocationem vel appellationem. Pro-
" batur argumento Antiquissimorum Canonum, *can. Patet profecto. can. Ipsi sunt Canones. can. Cuncta per mundum* 9. *q.* 3. & innumeris
" aliis. Probatur item rationibus è Scriptura Sacra vivis: quarum
" prima, summa & maxima est, quod Summus Pontifex à Christo
" Domino solus, non unius Provinciæ vel Diœceseos, ut alii Epi-
scopi

" scopi, sed universi gregis Dominici totiusque Ecclesiæ Christia-
" næ sit Pastor, ac Summum Supremumque inter homines Caput.
" *Can. Nolite errare. can. Quis nesciat. distinct.* 11. *can. Constantinus.*
" *dist.* 96. & aliis infinitis propè. Quæ omnia nituntur expresso
" Christi verbo ter ad Petrum repetito *pasce oves meas.* *Oves*, in-
" quam, universas, id quod nulli Apostolorum alii datum fuit. Quid
" autem absurdius quam à capite provocari ad membra reliqua? à
" judice superiori adeoque supremo ad inferiores? à Principe ad
" subditos? ecquis tandem finis foret controversiarum in Ecclesia
" exorientium? quis hæreseum vel schismatum? quis errorum, quis
" dubitationum, quis incertitudinis rerum omnium? si propter hæc
" singula Synodos Generales, quæ vix ac ne vix quidem singulis
" possunt hactenus obtineri sæculis, oporteret celebrari? provo-
" cationibus à Pontifice factis omnia turbantibus. Malè prospe-
" xisset Christus Ecclesiæ suæ, Sponsæ suæ, dilectissimæ suæ, pes-
" simè pasceret suum gregem Pastor universalis, miserrimè no-
" biscum ageretur, omnibus ad omnem ventum necessariò flu-
ctuantibus" &c.

190. Hujus seu sæculi decimiseptimi Scriptores Gallos hic omitto, quia superius retuli. Porrò si illorum, quos hactenus allegavi singulæ sententiæ ponderentur paucæ *Declarationis* particulæ manebunt inconcussæ. Sed quia non ex solis Gallis, verumetiam ex Græcorum aliorumque Latinorum Patrum & Scriptorum Traditionibus tanti momenti negotium (quod comprehendit *Declaratio*) discuti pleniùs convenit; id faciam dante Deo parte sequenti, propius singulas particulas examinaturus; antequam respondeam variis libellis, qui ab annis triginta hucusque ex Gallia ad manus meas pervenerunt. Et ex quorum doctrina, confecta mihi videtur dicta *Delaratio.* Aut si non sit ex illis hausta, nihilominùs est conformis. Interim LECTOR parvum hunc laborem meum æqui-bonique consule, & opiniones tuas (sicuti ego facio humillimè) Sanctæ Sedis judicio, & correctioni submitte.

FINIS.